SUAVILUDIA MUSARUM
Ad Sebethi ripam.

EPIGRAMMATON LIBRI X.

IACOBI LUBRANI
E SOCIET. IESU
Neapolitani.







NEAPOLI. Ex Typographia Jacobi Raillard 1690.

Superiorum facultate.

Et Privilegio.



ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOM.

Biſinianenſium Principi,

Inter Neap. Regni Barones Primo, inter Hiſpanæ Aulæ Summates, ſupremi Ordinis Magno,

D. CAROLO SANSEVERINO,

IACOBVS LVBRANVS

S. S. D.

DIV me intra ſilentium continui, Princeps Excellentiſſime; tardumque adeo nomen fui, ut promiſſi fidem, alijs atque alijs moratorijs inducijs, vel abruperim, vel

eluserim . En tamdem Epigrammata; quæ non gloriolæ captandæ, sed levandæ patientiæ, per intercisi temporis momenta conscripsi, invito sæpe Musarum Senatulo. Minus quidem solvo, quòd seriùs solvam; eo tamen animo id ago, ut debitum magis augeam, quàm expungam. Exiguum munus est. Quid enim Magno, nisi parva reddam? crescent in pretium, si tua feceris. Excuset inopiam, tenuitatēq; meâ facilitas tua omnibus exposita; & cuiusmodicūque sit, obsequij significationē hanc in accepto referat. Novimus Te in Poëticen, erudita quadam literarum intemperantia maximè proclivem: & tum alacrem, tum denique tuum esse, cum publicis curis solutus, & liber, ad Lyram accedis: contra quam plerique in emollito corporis cultu splendidè otiosi; numquam sapientes, numquam viri; qui procul a se habent libros, vel summis digitis tangunt. Elegans Tibi a natura ingenium, in condendis versibus lepidè, magnificèque diffusum; præcipuè in Odis, quà felici verborum audacia, quà sen-

ſententiarum aculeis, velut in Pindari domo natis. Elidorum tuum in ſcena ſuſpicimus Aulitechniæ ſcientiſſimum, præ quo veteris Aphranij Simulans friget; nam & verſipellem politicæ artis Ambitum ad vivum exprimit, mellitiſque cantionum modulis ornat, ut detegat. Salva nunc magnitudine tua demittas Te precor ad haſce carminum cogitatiumculas, daturus & levibus pondus, & impolitis gratiā. Non enim minus ſtudia, quàm ſtudioſos enixè diligis; ſubditoſque tuos vel ex plebe, ſi quid ingenuę indolis pręferãt, literis, ac moribus imbuendos ſcholæ addicis; nulloq; inopiæ præiudicio, anguſtè utentes victu, luculenter alis; habitationumque mercedes, ſtatos etiam reditus de tuo donas. Supra votum modeſtiæ meæ eſt, non extra ſpem, piſçarij Apollinis obſoniolum oblectationi tibi fore, non faſtidio, cum in Heroum cœnis, oleri etiam locus ſit. Nobiles hodieque fœminæ recentiſſimas blanditias, & exotica quædam luxuriæ ſcitamenta jactitant, muliebri Mundo in voluptatulæ micro-

cosmum contracto : Scrinia pretiosis rerum miculis minutim elaboratis exornant ; atque ista superflua ostentatione se censent . Videre est integram supellectilem , curiosæ solatium , an ludibrium desidiæ ? Mensulas, lagenulas, alveolos, quadrigulas, aliasque id generis argutias in puncta concisas, nec tenui ad pascendos oculos tantùm impendio. Magnificentiùs, & utiliùs ages Princeps eruditissime, si vacuæ isthæc pompæ lenocinia ad sapientiæ pompam, illecebramque tráducas. Pateant tuis in pluteis Epigrammatum lusus , quibus a brevitate etiam, quòd placeant, insitum est. Intelligent profectò omnes, non minimi habenda Musarum compendia, si Domum tuam intraverint; in qua nihil a Fortuna non magnum, nihil a virtute non maximum . ornabuntur a Te ; non Tu ex illis ornaberis. Amplum mihi erit, si vel unam, aut alteram paginam legeris , ut integrè librum probes. Atque hìc parcas, si Sanseverinæ Familiæ laudes sileam , cui summum decus est; numquam satis posse laudari.

dari. Insanirem, si vel guttulis Oceanum, vel facculis Solē cōmendari posse crederē. Regiam Avorū gloriam ita excipis unus, ut expleas: nec alio eges elogio, quàm Te ipso. Cùm Bisinianensium Principem nuncupaverim, omnia ad Generis dignitatem, ad Famæ splendorem abundè dixi. Vale, & Te superstitem Patriæ, Musis, Superi diutissimè servent. Neapoli Idibus Iulij MDCXC.



Vt emersas e cœno Musas, heroico stylo ad ingenuam carminum maiestatem revocet.


QUæ vesana Italam torquet vertigo Poësin ?
Indociles ad carmina Musæ,
Si Sacra, si Cœlum sapiant, castumque pudorem:
Et nugas, atque Orgia ludunt.
Ingenijs tantùm una sedet Boeotia, cum res
Divino plaudenda cothurno.
Iratis etiam dicam auribus : omnia nudis
Incestant mendacia verbis:
Miscueruntque Erebum Pindo, Styx Castalin hausit ;
Et myrtus jam laurea vatum est.
Phyllis ubique, Lyceque, & Hylas, & penniger Idæ,
Venalesque e fornice Mimæ;
Atque olidam eructant, lituique, Lyræque Suburram.
Nullum moris, & oris Honestum.
Quis legat, aut salios malèfido in dramate Faunos,
Et Venerum turpissima Tempe?
Quis non devoveat flammis, si cautus, Adonin?
O age sidereo entheus œstro
Pierios Scurras, & Apollineos Silenos
Reijce, magnificèque decoram
Uraniem Princeps merito da vivere plectro;
Nam potes. hoc molire. Choragum
Nobilium vatum te destinat Itala Syren,
Et multa calamum imbuit Hybla.

Ad Eumdem

Vt Poësim, suam elegantissimè ingeniosam, & lepidam publicam faciat.

Diu cupidis conor Te Magnum attollere Musis;
At desiderio sum minor ipse meo.
Mensuram votum Tu plenus Apollinis imple.
Non nisi de plectro par tibi Fama tuo est,





CANDIDO LECTORI, AC SAPIENTI.

DA *mihi brevem anteloquij veniam. Amoliri duplicem oportet injuriam, quam Epigrammatarijs hebetes ingenio ex Zoilorum familia quidam faciunt; alteram Impudentiæ, Dicacitatis alteram: Vtramque bene morato cuiquam, nedum religioso Viro turpissimam. Malam ijs esse linguam Martialis asseruit: quippe qui ex sua, aliorum salivam expenderet. Equidem ut in hoc carminum genere principem arbitror, ubi vel heroica, vel joco seria tersè, acutèque pertractat; ita cum Mureto spurcissimum Scurram, ubi honesti moris oblitus, vatem, & hominem prope exuit, obscœnis apertè verbis: & vel auditu nefaria spectaculum facit; quasi parasitis, cauponarijs, meretriculis tantùm scriberet. Neminem unum inve-*

venies, nisi Floralibus authoratum, qui non voluulo laboret, subitaque viscerum conuulsione non evomat impuræ nugacitatis, nequitiæque sensiculos. Apage istos lusus ad Erebum, undè nati: non enim minus extra Philosophiam, quàm extra Poësim libido est. Ipsum etiam Catulli nasum putida nuce non æstimem, cui perinde fuit lepidè loqui, atque impudicè. Quo quid potest dici vel perversius, vel ineptius? Itane verò? sine piaculo facetum esse non lubet? neque ullos argutiarum sales elici, nisi e Veneris æstuario? O miseram ingeniorum labem, quibus Heliconis hæret aqua, ni sordeat! Prostitutas amant Musas ad illecebram corruptelæ: ac sibi, aliisq; videtur sapere, cum pudorē omnem abiecerint. Quidni [a] Chrysostomus horum opellas nominet, σατανικὰς ᾠδὰς? Quidni [b] Augustinus in elegantiarum æquè, ac turpitudinum amatores illud intorqueat? Diabolum ornant. OWenum multis adblādiri sentio: nec inficias iverim suis in distichis humili stylo ad popularitatem compositis, Bilbilitanum latere genium: at serus Calvini nepos e Fi-

dei

[a] In Psalm. 117.

[b] Epist. 17. ad Licet.

dei Larario multa suffuratur cōfarcinandis æquivocis; ac postica in summos Romæ Flamines sanna petulanter obgrunnit. Ad concinnandas Epigrammatum stricturas habemus melioris curæ Auctores, qui scitè venustèque ludunt citra modestiæ cladem. Exteros præteream non paucos, inter quos vel præcipuè nominandus Franciscus Marinus Insularum Præsul, nitidè pius, eleganter argutus. E nostris multitudo est: Babusium, Bidermanum Crucium, Cabillavum, Destitum, Sotuuelem, Bovium, ac novissimè Sgambatum docti laudant, optimum, ut si quis, veterum. Horum exempla vestigijs omnibus insequar: de reliquis ne manum quidem verterim. Non tantum mihi sumo, ut æquare confidam; satis erit pro viribus imitari. Fateor multa mihi excidisse, quæ ad incudem, limamque revocare gravioribus distentus studijs, senioque jam acciso non valui: non enim integrum fuit posse quod vellem. Quædam de industria inobscuravi, ut Personis parcerem. Miscui etiam Sācta ludicris, cùm varietate omnes admodum delectentur. Scitum

illud

illud delicatorum suspirium: Quousque eadem?

Alterum est, quod purgem. Dedecere fortasse inquient, hominem per XL. jam annos Sacris in Concionibus extritum, ad versuum apinas (hoc nomine Carmen vocant, quo iucundius nihil, nihil difficilius) mentem intendere; assuetumque pulpito, ac supercilio, e Calvarij iugo ad Parnasi vireta divertere. Quid cum Sacerdote piscarius Apollo? an ut hamatis animos punctiunculis captet? Atqui notam hanc ex facili diluam. Venit in mentem sapientissimi Viri e nostra Societ. Petri Fabri dictum: Virgilium, ac reliquos Poetas posse facere Christianum, & Evangelistam. Nimirum Veritas sine aliquo leporis intinctu vix obtusum, surdumque fastiditis palatum excitat; ac moribus castigandis festiva potius sunt, quàm censoria. Petri retia iacimus, non Vulcani; & vitiorum iugulum iocosa interdum linea petimus. Secundum hæc, desudandum in edenda Panegyricorum centuria, atque una, vel altera ex Quadragesimis. Interim expedire me poeticis tricis

vo-

volui, ne apud Sodales in deserti vadimonij fraudem inciderem. Certè quidem id saltem assequar, ut discant doctuli, Musis non deesse honestam voluptatem, si Virgines sint. Quibus aliud est judicium, a paginis istis abstineant.



Fa-

Facultas R. P. Provincialis.

CUm decem Epigrammaton libros, inscriptos *Suaviludia Musarum ad Sebethi ripam*, à P. Jacobo Lubrano Societatis nostræ compositos, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint; & in lucem edi posse probaverint: potestate à R. P. N. Thyrso Gonzalez Præposito Generali ad id nobis tradita, facultatem concedimus, ut typis mandentur, si ita ijs, ad quos spectat, videbitur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, ac sigillo Societatis Nostræ munitas dedimus Neapoli die 23. mensis Julij 1690.

Octavius Caracciolus S. J. Prov.

EMINENTISS. SIGNORE.

IL P. Giacomo Lubrano della Compagnia di Giesù supplicando espone à V. Emin. come desidera dare alle Stampe un suo Tomo di Epigrammi intitolato *Suaviludia Musarum ad Sebethi ripam*, per tanto humilmente la prega à degnarsi di commettere la solita revisione, e l'haverà a gratia ut Deus.

IN Congregatione habita coram Eminentiss. Domino Cardinali Pignatello Archiepiscopo Neapolitano sub die VII. Januarij 1690. fuit dictum, quod Rev. Canonicus D. Carolus Celano videat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

SEBASTIANUS PERISSIIUS VIC. GEN.

D. Eligius Caracciolus C. R.

EMINENTISS. AC REV. DOMINE.

LIbentissimè legi, Emin. tua jubente, librum cuius Titulus *Suaviludia Musarum ad Sebethi ripam*, Auctore Adm. Rever. P. Jacobo Lubrano Viro hac in tempestate omni literarum genere nemini secundo, & in eo licet inter Musarum Ludia, nihil auditur, quod Fidem, vel bonos mores offendat. Imò ludendo serias, ac firmas exhibet eruditiones, & dum Ingenii flores demonstrat, optatos dat sapientiæ fructus. Ideò imprimi posse reor, si ita Dominationi tuæ videbitur. Neap. die 10. mensis Martij 1690.

Emin. tuæ Rev.

Humill. & addictiss. Servus.
Canonicus Carolus Celanus.

Nea-

Neapoli die VIII. Julij 1690. fuit provisum coram Eminentissimo Domino Cardinali Pignatello Archiepiscopo Neapolitano, quòd stante supradicta relatione Domini Revisoris

Imprimatur.

SEBASTIANUS PERISSIUS VIC. GEN.

D. Eligius Caracciolus C. R.

ECCELLENTISS. SIGNORE.

IL P. Giacomo Lubiano della Compagnia di Giesù, dovendo dare alla luce un suo libro di Epigrammi, intitolato: *Suavi-ludia Musarum ad Sebethi ripam*; supplica umilmente V.E. che si degni imporne la solita revisione, a chi resterà più servita; e l'haverà à gratia ut Deus, &c.

Rev. Pater Jo: Baptista de Benedictis videat, & in scriptis referat.

SORIA R. GAETA R. MOLES R. MIROBALLUS R. JACCA R.

Spectabilis Regens Carrillo non interfuit.

Provisum per S.E. Neap. die 9. Decembris 1689.

Anastasius.

EXCELLENTISS. DOM.

LEgi, ut jussisti, non attente solum, sed avide volumen *Epigrammatum P. Jacobi Lubrani*, nihilque in eo reperi, quod vel Regiæ Jurisdictioni, vel moribus officiat. Quin etiam opus censeo numeris elegantiæ omnibus absolutum, authorisque sui Ingenio, ac famæ respondens, quodque inter id genus scriptiones nulli sit de laude concessurum, cum priscas innocentia vincat, recentes acumine. Dignissimum propterea judico, quod typis mandetur.

Excell. Vestræ.

Addictissimus famulus


Jo: Baptista de Benedictis S. J.

Imprimatur, verum ante publicationem servetur Regia Pragmatica.

CARRILLO R. GAETA R. MIROBALLUS R. JACCA R.

Ill. Marchio Crispani non interfuit.

EPI-



EPIGRAMMATON

LIBER I.

Ad Momum.

I.

LUsimus hæc juveni fugitiva per otia plectro,
Quà pigra Sebetho Naìas amne fluit.
Defuit heroo mihi linea ductilis hamo,
Actiaque Euboico retia plausa mari.
Desipiunt insulsa tuæ si, Mome, salivæ,
Parce libens: tenui in flumine nil salis est.

II.

De paleis vario opere in segmenta vermiculatis.

QUisquilias segetum stipulas, stabulique saginam
Erudit in lepidas ars operosa genas.
Erumpunt in florea serta virentibus umbris,
Et steriles picto in germine Chlorin alunt.
Cæruleamque maris faciem, Sirenas, & Argo
Velivolo Cereris parturit alga sinu.
Ipsæ equitum, peditumque acies, mavortiaque arma

Spicarum è vacuis prosiliunt fagulis.
In tabulis quidquid solers molitur Apelles,
Niliaca quidquid sedula Persis acu,
Dædaleo effingunt paleæ subglutine, nec jam
Vilia, sed gemmis æmula dona nitent.
Hæc hominum votis deerat quoque bruta voluptas,
Ut faceret pecudum ganea delicias.

III.

Herba Mimosa.

AMericis sua luduntur proscenia sylvis,
Mima ubi comœdos annuit herba modos.
Occiduum pallet Solem, noctuque senescit;
In juvenem primo florida mane redit.
Si tangas, refugo se complicat hispida vultu:
Exerit audaces, cùm sibi sola, comas.
I, mirare hominum simulantia pectora, quando
Vel caulis dubios Histrio fallit agros.

IV.

De Heteroclito Galeani genio.

IT raso capite, atque in umbilicum
Promissà Galeanus usque barba,
Decrescuntque comæ, additurque vultus,
Et mento gravis est, levisque mente.
Olim si sacer Augur eruisset
Hoc glebà caput abditum Quirinà,
Nunc Romæ, puto, Barbitolium esset.

V.

De Parisio sordidissimo.

VEr nitidum, Cæloque æstas eat usa sereno;
Ingruat Autumnus, nubila ningat hyems;
Parisius semper pluviæque, & pulveris hæres
Illusam tunicam fert, saturamque luto.
Seù pedibus metitur iter, curruvè citato,
Sive sedens in equo, vel rate, sordidus est.
Frustrà Alpes superare per ardua nitar. in uno
Parisio possum cernere Lutetiam.

VI.

In Oratorem plagiarium.

INter Rhetoricæ partes Ruffinius unam
Difficilem curis asserit esse suis.
Omnia par Romæ, par omnia dicet Athenis;
Hanc Topicen doctæ dent modò nosse scholæ.
Ex quinis quænam? posces. Inventio. rides?
Vix inventa sibi est concio, cùm recitat.

VII.

De Calvino carpente vocabulum, Trinitas.

SOnat obsoletum, & turpe Barbarismum olet
Calvo Magistro Trinitas.
Latratque plenis faucibus Tricerberus,
Triademque sciscit Atheus.
O Tulliano dignus, ex quo Græculus
Latiam excucullavit Fidem.

VIII.

Ad Septicianũ de Maurilio verborũ parcissimo usq; ad risũ

ELicies priùs eroso de pumice fontem,
Quàm de Maurilij paucula verba sinu,
Panthoidas supra tacitus, pelagique colonos
Nil ait, &,vultu multa tegente, stupet.
Omnibus arcanam sub pectore condit Eleusin,
Cui facit,& tosto munera farre litat.
Huic ego non fidam. fatuis reor esse propinquos,
Qui tota sapiunt,Septiciane,die.

IX.

In Promachum Quietistam.

BArbaricum orandi morem,similemque veterno,
Cui mens non actis oscitet usa suis.
Putidulæ obgannit sublestus Opilio Berthæ,
Polluat ut fatuis otia sancta dolis.
Spemque Agathenque animis arcet,Triademq;beatam,
Totus in ignavam decubuisse Fidem.
Quis ferat in Latiis hæc lectisternia templis?
Non nisi fert Erebi somnia bruta Quies.

X.

Fortunæ, vèl cùm optima,malè fiditur.

MIramur Holmum ex divite indigum, exhaustum
Pallere vultu. Prædia,Titulos,Censum
Fasces avitos hasta subdidit fisco:

Ara-

Aranearum aulæa vestiunt muros.
Nullus familiæ, nullus est domi cultus,
Vacuæque nullis oscitant togis arcæ.
Culina longas gelida ferias ducit,
Mensæque ructant cæpe, nauticum panem.
Malè penulto semitectus in lecto,
Vix nictat oculis, cùm timet diem, & chartas
Densamque creditoribus, malam turbam.
Sic est in orbem prona se rotat mendax,
Et neminem Fortuna scribit hæredem.

X I.

In fœminarum mammas impudenter exertas, a Summo Pontifice Romæ proscriptas.

PRima recèns natæ præbent quæ munera vitæ,
Turpiter in Lamias ubera nuda tument.
Lac abit in virus, dedignaturque videndo
Funeris altrices jam pia Roma Lupas.
Hinc sacris Fidei Pater interdixit, & aris;
Nempe ubi Poppææ, multus in Urbe Nero est. **Vbera Italicè poppe dicuntur.**

X I I.

In ascititiam crinium imposturam.

TEmporis hoc frustra Dalilæ tonstrina laboret;
Non sacra nunc virtus insidet ulla comis.
Furta comis insunt, & olent evulsa sepulchrum;
Et male crinitos pectere Mœcha solet.

X I I I.

De Labullo lentissimè frigido.

DEsidiæ vernam, testudineumque Labullum
Pigra sub Arctoo sydere fudit hyems.
Sensit & a cunis rigidæ torpedinis ictum;
Quæque bibit lactis juscula, viscus erant.
Verba decem vix terdenis singultiet horis;
Si Jano incipiat scribere, Martius est.
Pransurus mappam dùm lentiùs explicat, & se
Incernit, stricto fercula jure gelant.
Non priùs emungit naso ningente placentas,
Pendula quàm siccam stiria tangat humum.
Argutis quamquam fodias calcaribus, unum
Non addet, Cœlo jamque ruente, gradum.
Par satagit stupido, vigilat par larua veterno;
Cochlea cursorem vinceret in stadio.
Affricuitque moram Fatis quoque; nulla senectæ
Ruga, nec in cano calvula crine riget.
Phœbe, vale. erosis quid perdimus unguibus annos,
Si redimit vitæ tempora Segnities?

X I V.

In obitu Patris Eligii de la Marra Sapientissimi Viri, qui extracto vesica calculo paulò post interiit.

ERuerat trepido lapidosam è corpore pestem
Docta Machaonia ferrea cuspis acu.
Vivida cùm subito de vulnere prosiluit mors:
Mersaque succenso in sanguine vita, fuit.
Naufraga mortalis quin tempora credimus ævi?
Nascimur ad lacrymas, frangimur ad lapides.

Idem

XV.

Idem Argumentum.

Suevit iter certos olim ſignare vetuſtas
  Per lapides, foret ut ſemita dura minùs.
Sic quoque nos annos metimur euntibus horis;
  Humanæ lapis eſt meta ſuprema viæ.
Humanæ ſed meta viæ brevis imminet! uno
  Heù dolor! à vita diſſita mors lapide eſt.

XVI.

Idem.

Dùm fibris innata ſilex languentibus hæret
  Altiùs, & medica vellitur acta manu,
Ilicet immiti dolor increbreſcit ab ictu,
  Et perit artifici vulnere vita fugax.
Diſce hinc, quàm mendax narretur fabula Pyrrhæ;
  Non pariunt hominem jam lapides, perimunt.

XVII.

Idem.

Fallor? an obruimur miſeri labentibus annis,
  Inſita ſi vitæ ſaxea fata rigent.
Calculus è venis divulſus hiantibus unus,
  Stravit ad interitum calculus unus iter.
Cedite magnetis miracula, cedite, mortis
  Ferrea qui trahat & ſpicula, jam lapis eſt.

XVIII.

Idem.

INterclusam altè tenero quid viscere cautem
 Eruit audaci Pæonis ira stylo?
Sæva tuis alium superingerit ictibus ictum
 Atropos, ad fletum surdior in lapide.
Hei mihi! non tantùm lapides vertuntur in urnam,
 Funera nunc pariter fert lapis, & tumulum.

XIX.

Divi Augustini Baculus in frusta sectus non diminuitur.

SErvat adhuc animam Baculus, quo cælitis Afri
 Dextra olim Hipponæ contudit ora deæ. Colebatur in Africa.
Scinde, nec imminues; seges ipso è vulnere vivit;
 Et vegetum in sterili stipite germen agit.
Par calamo certat. sapiat nisi victa theurgo
 Hæresis ingenio, vapulet à baculo.

XX.

Manuarius Sclopus in Crucifixi formam mutatus, Sicarium a S. Ludovici Beltrandi cæde reprimit.

BEltrandi ad cædem truculentior irruit Orci
 Filius, & Cypriæ Mænadis arma movet.
Et jam jamque brevi latrat vis ignea sclopo,
 Pulvereamque silex promicat icta necem.
Horruit improvisa nefas at fistula, clavisque

In-

Induit affixam Numinis effigiem.
Tanti erat incolumem Lodoico impendere vitam,
Ut passo redimi posset & una Deo.

XXI.


Sanctus Franciscus Paulanus sine remigio Siculum fretum traiecit.

LAnea Paulanum veheret cùm cymbula Typhin,
Obstupuit Siculo Nereis alta freto.
Navifragos Scyllæ rictus, flexumque Charybdis
Turbineum placido sopiit aura metu.
Dives ab Oceano timeat sibi Pinus avaro:
Nil habuit pelagus, quod raperet Minimo.

XXII.

Nundinale Scortum ad duellum egressis pacem conciliavit.
Ad Lucinum.

QUod nec Sancta Themis, pietas nec conscia recti,
Nec potuit summi Numinis urna minax,
Indixisse odiis metamque, modumque duello,
Proh pudor! ausa olim est fœmina prostibuli.
Insanos minùs Allophylos, Lucine, fatebor;
Porca quibus sanxit fœdera, cæsa tamen.



De

XXIII.

De Alexandro Magno.

REx Macedùm luget, nec dum satur Orbe vorato,
Democriti mundos esurit innumeros.
Pene putes profugum, extremos dum cogitat Indos.
Tam deiecta animi vota dolentis hiant!
Unam ex Oceano, domitaque e Perside palmam
Rettulit, insanis mœstitiam lachrymis.
Si post regna gemit, minor è Magno, adde triumphos,
Adde Asiæ Americen, buccina, nullus erit.

XXIV.

Poetis licet ex antiquis furari.

Vltimum poculum Mercurio Sacrum.

NOs etiam facimus vates & vota Lavernæ,
Aoniis ἑρμῆν sæpè sitimus aquis.
Virgilius veneres cecinit furatus Homero,
Et Theocritæo carmine duxit oves.
Et risus, soccosque Terentia musa Menandro
Surripuit: lacrymas Euripides Sophocli.
Pindaron exhaurit Flaccus, cùm sternuit *Ohe*,
Ditavitque inopem Cynthia Callimachum.
At venia indulgenda: juvant ubi docta rapinæ
Lucra, nec invito damna ferunt domino.

XXV.

Eva ex Adamo.

EVa recens Adæ latus exiit, & sine sensu
Dùm premeret tacitus lumina mersa sopor.

Quàm facile est, nisi diu vigilet vir conjugis Argus,
  Ut vaga vel clausos exeat illa lares!

XXVI.

Caliculi ex ebore minutim effecti.

EX atomis, viden? ut calices tornantur eburnis,
  Guttula ubi dubio non capit una mero:
Ipsa microscopiis acies vix libat acutis;
  Tam nulla exinguis crustula rebus inest.
Hauriat hos inhians pœnali Tantalus æstu,
  Sentiet illusam siccior usque sitim.
Quàm fatuis certant hominum vota ebria curis!
  Cùm sitiunt, oculis non nisi puncta bibunt.

XXVII.

Pandari Morolagia.

ORatorum apices super, & fastigia famæ
  Surgeret arguto Pandarus eloquio.
Sæpius hoc jactat: tantam tamen abstinet artem,
  Quòd neque sit rerum, nec memor ipse sui.

XXVIII.

QUandoquidem musis hæc otia fecit Apollo,
  Non sitiam fontes, Aonis unda, tuos.
Grandior in tenui mihi sat Sebethulus alveo,
  Plurimus hic patriis Pegasus hinnit aquis. Hippodromum regiũ Sebetho proximè situm est.

Ge-

XXIX.

Geta Imperator ex initialibus litteris dapes ad convivium apponi jubebat.

EX alphabeti formula gulæ Princeps
Sibi parandum prandium Geta edixit.
At litterarum in ferculis odor tantùm.
Dabat Alpha dubiæ multiplex caput menſæ,
Acipenſerem, attagenas, altilemque aprum.
Quis non Getæ Rabinicam gulam credat,
Cui gutturales litteræ forent omnes?

XXX.

Ad Ponticum.
Calculoſus binos in Italia adamantes ejecit.

POntice, quæ narras Italæ portenta nephritis?
Glebane flammatis renibus Inda latet?
Olpius adnatos fibris adamantas hiulcis
Emiſit. ſciſſi vulneris in pretium.
Corporis an ſcabies albo ſignanda lapillo eſt?
Diteſcunt noſtris an quoque Fata malis?
Effera Naturæ ludunt an munera? fallax
Illecebris peſtes oblinit, ut noceant.
Calculus hinc cupidis jam plus imponet Avaris,
Si vel cum doleat, gemmeus eſſe poteſt.

Phi-

XXXI.

Philippus IV. Hispaniarum Rex immanem Lupum venabulo confodit.

DEvius in sylvas hasta ulciscente Philippus
Indomitum effreni vulnerat ore lupum.
Infremit en præceps, quà quà rapit ira cruentum;
At fuga plus properat saucia mortis iter.
Occidit. Augustum miror quod fugerit hostem,
Cui decus aurati pectoris Agnus erat.

XXXII.

Echo Heptaphona
In laudem D. Dominici de Aquino, ob Etruscum poema, cui titulus, Tybris coronatus.

MAjestas quàm blanda tuæ, quàm dædala Musæ
Gloria, Sirenum vincere nata melos.
Carminis ad nutum fluviis Rex imperat, & se
Major adorato in murice Tybris ovat.
Invidet Eridanus, superis quanquam additus astris;
Nempè tuis largè clarior iret aquis.

XXXIII.

VAtibus elicuit jam Pegasis ungula fontem,
Unde suos biberet fabula graja sales.
Majus prodigium calamo debemus Aquino,
Humida qui potuit subdere regna Tybri.

Eu-

XXXIV.

EUphratem altiùs assurgentem in vincla coëgit
Pellæi virtus imperiosa ducis.
Scilicet Oceanum mox vela daturus in Indum,
Flumineo didicit ponere frena mari.
Tu trabeas Tyberi, fascesque, & regia vindex
Jura, coronato das fluere alta vado.
Auguror hinc alium, Phœbo gaudente, per Orbem
Metra veches Epicæ, Typhis Aquine, tubæ.

XXXV.

VIctor in Etruscos stetit olim Cocles, & unus,
Quà tremuit dubio Tybridis unda metu.
Aude animis, Italùm vinces in carmine famam,
Regia si Tyberi, te duce, serta virent.

XXXVI.

DEsine Naumachiam velis jactare superbis,
Fama, tuam, & mimo fingere bella mari.
Gaudia quæ fluerent fastu secura tyranno?
Gaudia Romuleæ naufraga gentis erant.
Mæonio majora canit certamina plectro,
Atque triumphantem Nais Aquina Tybrin.
Fluminei properant ad cærula classica martes,
Alter & in Latias Annibal ardet aquas.
Seque supra attollunt, simul & sua vota perorant,
Ut tumidis prensent lubrica sceptra minis.
Tandem humili jubet Oceanus succumbere fluctu:
Hinc Honor, hinc Pietas adstat, & inde Themis.
Intonat & sacrum, atque hilari Tyberina tumultu

Ri-

Ripa coronatas nectit opima comas.
Non opus est podio. dabit opportuna legenti
Singula Pieriam pagina Naumachiam.

XXXVII.

VIderit arcanas hyemes pendente sub arcu
Roma per aërios transiliisse lacus.
Nunc nova miretur latii miracula Pindi;
Nullus ad hoc potuit surgere Cæsar opus.
Appia defossis non ducitur unda cavernis:
Claudia in Euripos non ruit unda breves:
Non Tepulæ vibrantur in ancipites convalles;
Non scatebris pauper fles, Aniene, tuis.
Ingenii vis una jubet, trans Temporis Alpes,
Ire coronatum in postera secla Tybrin.

XXXVIII.

NIlus inaccesso caput exerat arduus alveo:
Corniger in surdas mugiat Apis aquas.
Præcipiti rapidus Tygris hauriat impete Medos;
Ossaque Peneo verberet astra lacu.
Immensumque ruat, ripæque auscultet adesæ
Ister, & Æmathias inflet ad arma tubas.
Militet Auroræ Ganges, & Memnona pulset;
Et renovent Libycos Aufida stagna metus.
Imperium Tyberi, & jus altum in flumina vindex
Firmat Aquiniaco carmine læta fides.
Hæresis, hinc calvos, luteos hinc abjice momos:
Non facit ad fatuam Romula lympha sitim.

An-

XXXIX.

Antonii Vxor Ciceronis linguam acuatim sauciat.

Fulvia divulsam Romano è Nestore linguam
Ultrici, quantum fœmina, fixit acu.
Usque adeò fatum est, quod Tullia lingua laboret,
Si nimium incisis vibret acuminibus.

XL.

De Limonia arbuscula Neapoli donata Eminentissimo Ignico Cardinali Caracciolo.


Quæ tibi parva domi Limonia pullulat arbor,
Anteit Hesperidum fertilis una nemus.
Dissimili simul indulget sua poma sapori:
His acida, his vegetum sudat aprica favum.
Idem habitus, color idem ambit, sed succus utrisque
Non idem: in viridi cortice Janus inest.
Naturæ ingenium quis fœderat annulus artis?
Aut quis Hymen dulcem miscet amaritiem?
Gloria purpureæ famæque, & Gloria mythræ,
Cui famulas Siren Itala subdit aquas,
Ignice, regnandi curas dum dividis urbi,
Præsulis hinc partes discere jure potes.
Una præest quanquam inflexo Prudentia vultu,
Sæpe sapit Chariten provida, sæpe Themin.
Si sceleri insistat vindex, gustum indit amarum:
Mellea virtuti munera mitis alit.

XLI.

In Callippum scientissimum ex ore suo.

OMnia scis, Callippe, vagam quæcunque per urbem
  Credula furtivo murmure Fama jacit.
Scis inimicitias, & semina prima nocendi:
  Scis loca vesanis pervia Monomachis.
Scis, quota contigerit nuptæ dos scripta Marillæ:
  Altilis, an pingui sub cute macra fiet.
Et legum tabulas, & testamenta resignas,
  Emptaque Vulturii judicis arbitria.
Anne Ceres desit furnis exhausta recoctis;
  Bellica an in * Caligas oscitet arca suos.
Scis etiam, Odrysio quid ganniat aula Tyranno,
  Dum timet Adriacas in sua fata rates.
Vistula quo tumeat, Tamesis quo fluctuet æstu;
  Quo tonet in Budam Pannonis ora metu.
Nos tamen obtundis, Callippe: ubi pauca rogamus,
  Novi, ais: at nequeo dicere, quæ scierim.
Hoc si scire putas, facilè te vincere possim,
  Encyclopædiâ doctior ipse tuâ.
Astrologos supra, Mystasque Matheseos omnes,
  Archiatros supra, Causidicosque sciam.
Quod nuper folium exciderit fatale Sybillæ,
  Quæ nec dicta sciam, quæ neque picta sciam.
Si modo poscenti, hoc unum repetam; omnia novi,
  Juratus nulli fidere, tum sileam.

* Milites gregarii.



XLII.

In Himerensi Siciliæ Collegio sitiens Asinus, adulto Julio, noctu incidit in putealem foveam, magno domesticorum tumultu.

IGta Cleonæo dum sydere deflagrat æstas,
Præcipitem putei sorbuit unda asinum.
Ne misero insultes. Phaëton quà devius ibat,
Merserunt etiam flumina Solis equos.

XLIII.

Idem.

EXtudit æquoreis altè Neptunus ab undis,
Æmula quò torsit tela tridentis, equum.
Hanc sibi molitus genesim, ni fallor, asellus,
In tacitas putei se tumulavit aquas.
Luctatus tamen ad superas ipsissimus auras
Emersit; madidam perdidit invidiam.

XLIV.

Idem.

ÆStivo puteos frigescere tempore ne quis
Hæreat, hoc asino discere teste potest.

XLV.

Idem.

FLammivomo Trojanam urbem subvertere casu
Irrita post Grajùm prælia novit equus.
Totam Asinus nuper putealibus obrutus undis
Terruit attonitam, nocte silente, domum.
Vrbe minor domus est, minor est metus igne sed alter
Hinniit armatus, alter inermis erat.

XLVI.
Idem.

SE ſe aſinus noctu in puteum devoverat imum,
 Seſſilis ut rabidam mergeret unda ſitim.
Jam poto mors ingruerat, cum cannabe torta
 Eductus, medio in funere ſentit opem.
Semianimemque artus, & vix genua ægra trahentem
 Vinoſis aluit frugibus hauſta Ceres.
Vna pares aſinis fecit Natura Bibones:
 Cùm biberint, pereunt; cùm periere, bibunt.

XLVII.
Idem.

DEmocritus quid adhuc madida rimetur Abolla,
 Vt Veri ſcatebras hauriat e puteo?
En bene lotus aquis, & terſis auribus, alto
 Prodiit e puteo, nec minus eſt aſinus.

XLVIII.
Idem.

CEntum operæ puteo infoſſum nituntur in altum
 Ferre aſini, pietas ſumma, natantis onus.
Addunt & ſcalas, & iniquo lora capiſtro:
 Vi trahit hic aures, vi trahit ille pedes.
Hærentem ſcopulis merſurus in æquora puppim
 Plura Syracoſius non velit arma ſenex.
Ergo hyemes udi tandem eluctata ſepulchri
 Extulit emerſum bellua tarda caput.
Durum adeò eſt aſinum fluidis ſubtraxe periclis.
 Herculis ad famam defuit iſte labor.

XLIX.

Idem.

LAbitur in puteum, greſſu fallente, doloſum,
Quis?(calamo lacrymæ proſiliunt) aſinus.
Protinus ad tantam jacturam accurritur, & vi
Suſpenſum intortis funibus inde trahunt.
Parcunt fata aſinis, non parcunt fata Tyrannis.
Scilicet his ſiccà morte perire negant.

L.

Epitaphium Carbonis Librarii apoplexia correpti.

COncolor extincto lapis hic Carbone nigreſcit,
Quem ſubito merſit funere gutta brevis,
Epigraphen tumulo licet inſcripſiſſe: ſuperſtes,
Dii facite, ut cineri Carbo ſit uſque ſuo.

LI.

In Silvanum novarum rerum ſtudioſum, & antiquæ familiæ jactatorem.

OMnia Silvanus gaudet nova, ſtemmata præter,
Et genus,& gentis nomina magna ſuæ.
Imbricibus nondum tectas novus hoſpes in ædes
Migrat; ab humenti nil ſibi calce timet.
Primitias hortorum inhiat,frugeſque recentes.
Noxia ſint,oculis ſi nova, lauta ſatis.
Non bibit, expument niſi vina novitia bullis:
Vt reor, antiquam muſteus odit aquam.
Bis induta humeris jam penula ſordet,& arctè
Cum nova non refugos mordet aluta pedes.

Preſ-

Nobilium tamen antiquiſſimus ambit haberi,
Fumoſiſque tumet totus imaginibus.
Jactat ab Evandro Majorum exordia. miror.
Inter Avos, abavos inter, homo novus eſt.

LII.

Americæ vermiculi, vulgo Cocciniglie, Purpuram tingunt.

SAucia puniceum revomunt Conchilia coccum:
Regius, eſt ſanies ſanguinis, ille color.
Americis nunc Erucis lux additur oſtro;
Fulget & exuctis Purpura reptilibus:
Tam prope ſunt nudum mortalia vota ſepulchrum.
Vermis olent adipem ſerica, verme rubent.

LIII.

Philippus IV. Hiſpaniarum Rex in adverſis conſtantiſſimè magnus

PIngere quæ pingi nequeunt olim auſus Apelles,
Æolon, & celeri fulmina rauca ſono.
Vincere quæ vinci nequeunt, laus magna Philippi,
Improba fortunæ verſilis arbitria.

LIV.

In honorario eiusdem funere post quatuor menses ab obitu 17. die Septembris.

VEre novo posuit cunas jam Flora Philippo,
Hesperiumque Ceres detulit imperium.
Autumnus tumulo, maturumque addidit astris.
Fletibus hinc nostris nubila męret hyems.

LV.

Stellati equites periclitantur Messana sub Gallorum patrocinio.

INsignes Equitum Stellæ, grassante tumultu,
Ni mitis redeas, Hespere, dispereunt.

LVI.

De Dindymo in comitialem morbum lapso ob coturnicum esum frequentem.

HOspes in Ortygiis Caprearum Dindymus oris,
Exta coturnicum pinguia sæpe vorat.
Has olim Ausoniis damnavit ganea mensis;
Nempe venenatum ad pabula semen amant.
Incidit in morbum tandem, quo lumina torpent,
Caligante animo, nec vel aperta vident.
Cum redeunt, tamen a vetitis non abstinet escis.
Ingeniosa aliis, cæca aliisque gula est.

L V I I.

Ad Demylum nova, & ficta scripturientem.

FAre age quid rerum? nam scribere cuncta fateris,
Quæ canit ad certos nuncia fama dies.
Tonstrinas etiam, & cauponas Demyle lustras;
Hinc nova corradis credulus, atque bibis.
Materiem tibi dant facilem mendacia vulgi,
Despuat hæc scenis Histrio, Scurra viis.
Si desunt narranda, in utramque & Phantasus aurem
Substituit somnos, ludicra spectra, suos.
Dum calamo insudas, & totas scripturis horas,
Rem magam facies, Demyle, si sapias.

L V I I I.

De Bibliotheca Osci imperitissimi.

RIsimus, & cur non? stertentis in ædibus Osci
Lauta nitet pictis Bibliotheca typis.
Causidicos, Physicos, hinc Rhetoras, inde Poëtas
Ornat inauratis purpura marginibus.
Historicis adsunt numerosa volumina fastis.
Dives adest gemini baiulus Orbis Atlas.
Paginulam tamen e loculis non egerit unam;
Discit & ex ipsis desipuisse libris.
Censores titulum hic inscribite. Palladis amplam
Oscus habet galeam, sed caput est Fatui.

L I X.

In Tappulum genibus fictè laborantem.

QUæ nova morborum te, Tappule, symphysis urget?
 Ad Sacra si pietas destinat, æger homo es.
Genua solo vel firma times curvare: peristi,
 Ni cerebrum emungas, hæc capitis Gonagra est.

L X.

In Corbilianum effrontem.

OS pugilis! veterem cunctis te fingis amicum,
 Lauta quibus res est, atque opulenta domi.
Protinus & nummos, togulamque, & commoda rhedæ
 Poscis adulanti, Corbiliane, dolo.
Difficiles si forte negent, tamen improbus instas:
 Et dilata putas dona, iterumque rogas.
Nullus inest votis pudor, irritantque repulsæ:
 Frons tibi spem, tibi opes fœnerat: Os pugilis!

L X I.

De Crellio Plautum lectitante.

SEdulus in Plauto noctuque diuque terendo
 Crellius, haud Latios eruit inde Sales.
Non nisi derosas abava rubigine voces
 Carpit, & in rugas desita verba putres.
Æmula Virgilio laus hæc præpostera certat.
 Ex auro Plauti stercora colligere.

Sta-

LXII.

Statua Fortunæ Muliebris bis locuta in via Latina, ex Livio.

CRedite. Fortunæ Muliebris sculptile signum
Bis olim Latiæ verba dedisse viæ.
Lubricus hæc linguæ repetit miracula sexus.
Muta vel in vacuo, fœmina, turba foro est.

LXIII.

Nihil venali misericordia turpius.

QUæ facilè Pietas auro tantum annuit aurem,
Carnificum ferro durior illa riget.
Nil tam turpe Foro, Nemesique indignius ipsa,
Quàm male nummatis parcere flagitiis,
Hinc scelerum seges; hinc pingui crux nulla latroni,
Si sibi, si Scribis, Causidicisque rapit.

LXIV.

Vana Monilium Anomalia.

EX quo crispatis lactuca monilibus alsit,
Magnificum variant colla subinde jugum.
His pars interulæ in largum sese exerit orbem:
His placet Hispanæ strictior ansa gulæ.
Sunt quibus & strophium tergendis naribus aptum
Pendeat, insertis nobile cuspidulis.
Ah miser! hæc pompæ quid luxus anomala gaudes,
Si jugulum dare Mors omnibus æqua, jubet?

L X V.

Ad Sereniſſimum Genuenſium Ducem Franciſcum Mariam Lercari, ſæculo maiorem ſuo.

TE Genus, & magnis Virtus heroica votis
Auguſto Ligurum debuit Imperio.
Vel cum flammivomis ardeſceret obſita nimbis,
Patria Te vigilem ſenſit adeſſe Jovem.
Immotamque animis mentem, vultumque Serenum
Viſus es ad piceas explicuiſſe neces.
Sic denſis ſuffuſa atomis Ornatur, & Ornat
Alta Coronatum Purpura Solis Halon.

L X V I.

Luceia vel centenaria, Romæ hyſtrioniam exercuit.

ULtra Hecubæ Luceia putrem Pyrrhaque ſenectã,
Rugoſãm rhodino ſmegmate lota cutem,
Orcheſtram ſubiit, ſoccos induta jocoſos,
Callida ſpectantes fallere Mima Procos.
Rarum hoc exemplum veteris pudor innuit ævi;
Nunc in fœmineis plurima ſcena genis.
Cumææ non una annos egreſſa Sibyllæ,
Factitio juvenem vultu Amaryllin agit.

L X V I I.

Ad Firmum in Divinæ Prædeſtinationis freto æſtuãtem.

IRritus exploras arcanam Numinis Arcton,
Unde regas dubiæ pendula vela viæ.
Pervigil e puppi nautis facit otia clavus;
Fida tuæ clavos Crux dabit una rati.

Tu-

Tutus in hoc Pelago, vel Syrtes inter, & æstus,
Qui vehat ad Portum, naufragii metus est.

L X V I I I.

De Cratino commodatitiam supellectilem ostentante ad fastum.

QUi lautam ingreditur domum Cratini,
Miratur variam subinde scenam
Aulæis, Tabulisque, Sellulisque,
Flandri stragula pectinis, tapetes,
Mensas delicias Palatiorum;
Argentoque abacos graves, & auro,
Et sculptum lepidis ebur figuris:
Pompæ hanc synthesin, omniumque pictas
Murorum phaleras, ab his, ab illis
Per mensem sibi commodata jactat,
E censu velut enatent avito.
Si credas oculis, parem esse Crasso;
Fundum consule, mox putabis Irum.
Nam luxu seritur voluptuoso
Arbor * Corticis, insolens supellex.
Tanti est gloria Suberem videri.

* Ex Plinio.

L X I X.

In Galbam senem vinosum podagra extinctum.

VIvax e vino senium sibi Galba spopondit,
Quòd pretium e senio condita vina bibant.
Omnibus his votis Semeleius, ebria tandem
Sensit in epotis fervere fata scyphis.

En

En podagræ in pectus vis irruit,& pede claudo
Ocyus in tumulum jussus abire suum.

LXX.

Latinè loqui in Iudiciis refrixit.

A Bove rem repetam,cum dicere vellet, ab Ovo,
Ancipitis actor litis,Alcestes,ait:
Tanta Togis superat linguæ jam cura latinæ,
Adesse se Boario,ut credant,Foro.

LXXI.


Lusoriæ Horiperdarum Charta.

IActa lacessitis quæ luditur alea punctis,
Tempus,opes,animam perdere sæpe solet.

LXXII.

Gorgias Epirota natus ex matre, dum cremaretur in rogo. ex Valer. lib. 1. c. 8.

GOrgian incensæ genuerunt busta Parentis:
In cunas potuit degener ire rogus.
Tantum audent,& fata cinis prælusit ad ortum;
Flammaque maternas induit ipsa vices.



LXXIII.

De eodem.

QUæ nova dat pietas ſpectacula? naſcitur infans,
Cùm jam nulla Parens deflagrat in cinerem.

LXXIV.

Idem.

GOrgiadem in lucem maternus prodidit ignis.
Verè Epiroten, cui pyra, vita fuit.

LXXV.

Roſa umbratilis,
In phyala Hermeticè medicata.

HIſcentem e cinerum buſto, flammiſque colonis
In nova puniceam germina cerne Roſam.
Hæres ipſa ſui, Naturæ inſultat avaræ,
Et redit in virides, cum flagrat uſta, comas;
Nam quæ guttatim lachrymis tabeſcit odoris,
Clauſa vel in vitreis vivere diſcit aquis.

LXXVI.

Lugduni Batavorum
Hæreticus Sartor ſe Regem juſtitiæ nuncupavit.

FLuxa fides Batavis, fluxumque per æquora regnum.
Jura quibus dixit publica Sartor acu.

In

LXXVII.

In tumulo Domitiani.

QUi fuerat lictor muscarum Cæsar & auceps,
Hic parit & muscas,& sibi patris alit.

LXXVIII.

Valetudo firmior felle carentibus.

CUi nihil est fellis, vivax & longior ætas.
Naturæ placidum munus id esse reor.

LXXIX.

De S. Thyrso Martyre.

NE domitum Thyrso Gangemq; & Memnonis oras
Ebria vitigeno sanguine sistra canant.
Diluit hæc portenta Fides:& vindice Thyrso
Tœnarios Erebi terruit ausa Deos.
Barbariemque minacem armis,Regumque Tyrrannim,
Ipsa etiam Thyrsi subdidit astra cruor.

LXXX.

Curtius Romæ se projecit in voraginem.

HOrrendam in foveam, miscens sua fata sepulchro,
Se dedit audaci Curtius actus equo,
Tristia cesserunt sic omina. Debuit uni
Ne rueret,vitam Patria Præcipiti.

Ad

LXXXI.

Ad Amicum nimio studiorum labore tabidum.

SI tollere assiduam nequis,
Minuas laborum sarcinam.
Quibus perimus integris,
Sectis valemus viperis.

LXXXII.

Aurum liquatur in Crassi os infusum a barbaris.

ASsyrias auri glebas si Crasse sitisti,
Lauta auri Parthus fercula fudit in os.
Votum ultra, quod edas etiam dant fata. repellat
Una sitim tibi mors aurea, & una famem:

LXXXIII.

Austriaca pietas.

PEr vios debet Mundos Europa Columbo:
Catholicos Aquilis debeat Austriacis.

LXXXIV.

De Mutio Scævola.

SUpra hominem implevit magnæ decora omnia famę
Scævola, cùm potuit vilior esse sibi.

L X X X V.

Martia Matrona Romana
Cœlo tacta, se salva, peperit infantem mortuum.

Ægra ferens uterum, vi fulminis icta repente
Extinctum incolumis Martia fudit onus.
At morti fœcunda, & Medèæ obsita fumo
Creditur iratum plus voluisse Jovem.
Viventem seque ipsa odit, bustoque superstes,
Nate, inquit, Genitrix integra plus perii.

L X X X V I.

Ad senem assa voce affectatè balbutientem.

Dimidias voces, blesæque crepundia linguæ,
Blandula si pueris, putida sunt senibus.

L X X X V I I.

Manlius Consul filium occidit, etiam victorem ob iniussam pugnam.

Manlius in Natum potuit strinxisse bipennem,
Adde triumphantem si libet, adde ducem.
Nam fuit injussæ crimen victoria pugnæ;
Atque redux victo visus ab hoste reus.
Imperium Consul meritis quoque prætulit armis,
Non soboli, at Patriæ maluit esse Pater.

LXXXVIII.

Apicius in Africam navigat locustarum gratia.

VEla facit Libycis,quis credat? Apicius undis,
Nec vada navifragis ſyrtibus alta timet.
Urget amor grandes ubi ubi captare locuſtas:
Non ſatis ad cœnas Lyris alumna ſuas.
Gutturis ad portas hic Annibal imminet unus:
Squilla ſibi ciet hæc dapſilis una tubam.
Quàm veſana hominem decoxit ganea! cui vix
Africa monſtroſam paſceret hauſta gulam.

LXXXIX.

Cæſar allatum ad ſe Pompei caput flevit.

CÆſar ad abſciſſum Magni caput, indice fletu
Hoc doluit,manibus non perijſſe ſuis.

X C.

In tornatiles calicum figuras ad compotationes.

POcula vix mordent fauces blandita Bibonum,
Si niteant levi Maſſica vina vitro.
Tortilis in Filices, vel acutis aſper echinis
Mentorea varius fingitur arte calix.
Qui propior frangi, manibus ciet uſque timorem,
Plus ſapit.hanc ſanam credimus eſſe ſitim?

X C I.

Dionysio iuniore Siciliæ Tyranno ob temulentiam excæcato, Aulici se nihil videre simulabant.

EFferus in Siculas sævit Dionysius urbes,
Alterutro captus lumine, mentis inops.
Bacchus inest oculis vindex, atque ebria cæcum
Vis agit in subitas, præcipitatque minas.
Hinc & adulantes Opthalmica reddidit omnes,
Aula metu pætos, cæciliosque dolo.
Nempe ubi fert Leges ferro temulenta Tyrannis,
Nulloculum qui se finxerit, Argus erit.

X C I I.

In Hermum pauperem gloriosum.

QUis toto non splene tumentem irrideat Hermum,
Cui famulam turbam servulus unus agit?
Hunc alio atque alio compellat nomine: cœnæ
Tempus adest: lautas instrue, Gorge, dapes.
I Maurille, statos e villis exige census:
I, fer causidico Xenia, Rulle, meo.
Actutum properate, Lyson, Nasulle, Petili;
Venandum est: huc huc Nappa, canes, & equos.
Par agitur passim hæc mutatis fabula soccis.
Multa tegunt Procerum nomina pauperiem.

XCIII.

Ad Rufum in mimos, & Copreas prodigum.

QUamquam facetis multa vernulis dones,
Plura esurire, & allatrare non desunt
Vorata, numquam, Rufe, saturiunt scurræ.

XCIV.

Augustus imperio felix, sua familia miser.

FElicem foris Augustum fecere triumphi;
Hæsit in ærumnis gloria tanta domi.
Mersa libidinibus male sorduit Aula pudendis.
Prostituit patrem filia, neptis avum.
Usque adeo minus est domitis insistere regnis,
Quàm vigilem laribus consuluisse suis.

XCV.

Ad Lesbium de libris proscriptis.

SÆpius ex vetito pretium est authoribus: index
Clara vel obscuris nomina pœna facit.

XCVI.

In Celsum projecta temeritatis.

NEc pelagi rabiem, nec hiantem fulminis ictum,
Sed neque si trepidet concita terra, times:
Lethifero rides etiam contagia rictu,

Et premis audaci fœtida busta gradu.
Multus amas certis famam captare periclis;
Et nisi quod stultus, cætera, Celse, vir es.

XCVII.

Anaximenes vinctus à Thebanis, combustis ad ignem vinculis fugit.

CAptus Anaximenes admotis ignibus arsit
Vincula; se tacita proripuitque fugà,
Semiustis alacer pedibus. dulcissima res est
Libertas etiam saucia præ laqueis.

XCVIII.

Lazarus sepulchralibus institis illigatus e tumulo prodiit.

LAzaridem Mors vincta manusque pedesq; sepulchro
Extulit. ah lachrymas viderat ire Deo.
Vita redux numquam graditur recto integra talo,
Ni ferat elapsi funeris exuvias.

XCIX.

Venetiis per æstatem cymbularum excursus cui nomen, i Freschi.

PLurima cymbarum Venetis cursuque, recursuque
Uda cohors jugulat Sole latrante diem.
Æstivis tantum constant placida otia curis:
Vna emitur scisso frigoris aura mari.

Mn-

C.

Μηλομαχία, seu ludus pomorum jactu, ab Alexandro institutus prope Babylonem.

LUdicra quæ prope pomiferos certamina saltus
Jussus Alexandro præstite miles agit?
Poma vices jaculi subeunt,& belligera vi
Jacta hilari faciunt vulnere poma metum.
Heu ludum hunc ubi lusit Adam,mors ingruit Orbi.
A Pomo in nostrum funera nata genus.

CI.

Margaritum in Conchili.

CErne hilarem Conchæ lachrymā:fit gēma tegēdo:
Ni lateat,minimi guttula roris erit.
In pretium sic clausa coit mens casta: videri
Lubrica,defluxæ forma pudicitiæ est.

CII.

In Oratorem ineptè verbosum & sacris abutentem litteris.

CUm res agenda,putidum est nimis longam
Crambem erudita recoquere arte verborum.
Quid sacra nugis frigidissimis misces?
Vacuamque causam aut prodis,aut loquax perdis?
Magna est disertæ pars silentium linguæ.


CIII.

Ad Carolum Celanum, Principi Ecclesiæ Canonicum eruditissimè sapientem.

CELANE, o Patriæ elegans voluptas,
Cui summæ studium eruditionis,
Et vis ingenij sagax, disertæ
Excussit Tripodas scientiarum.
Non Te Peripati latent recessus:
Divinæ quoque Pallados Theorus,
Et Mystes Themidis, Fori, Polique
Mentem judicijs habes paratam.
Cursorum * resides & involutas
Scrutatus schedulas Tabellionum,
Quantam moribus exhibes palæstram?
Derides vel ineptias supinæ
Turbæ, vel Procerum jocos & iras;
Et sannas Sciolorum, & obsoletum
Fortunæ male blandientis astum.
Argutique Sales, & eloquentes
Delectant lepido, docentque Phœbo
Per Compendia Curiositatem.
Nunc Censor, rogo, candidus sine ullo
Palpo, corrigere hos velis libellos.
Si vel pauca probaveris, probabor.
CELANO placuisse, summa laus est.

* Libràm edidit, cui nomen avanzi del le Poste.

EPI-



EPIGRAMMATON

LIBER II.

I.

Ad Ruffinum Grammaticum
Qui Cometem masculini generis, nihil mali parere per jocum dixerat.

QUin trepidas Ruffine? marem licet esse Cometam
Declament ferulæ, parturit ille tamen.
Gorgoneà Thebas tumet, & tumet Ilion umbrà,
An tibi grammaticus funera ludus erunt?
Fœminei generis cauda est, Ereboque marito,
Ni superi avertant omina, fert uterum.

II.

Idem.

DUcere quam latè spectas, Ruffine, Cometen
Esse putas barbam sideris, anne Comam?
Alterutrum sciscas, & teste, & judice Cœlo,
Qui modo grammaticus, jam mihi tonsor eris.

III.

Idem.

LUrida fatali quæ turbinat Hesperon astro;
Flamma Climacterici temporis omen habet.
Nostrorum afflatu scelerum, non aëris arsit.
A terris Cœlum mutuat, unde furat.

IV.

Post diuturnam terræ siccitatem emersit.

EN nova seditio Cœlum tenet. arsimus eheu!
Arsimus exusto pallida turba solo.
Pulvereæ puteis perierunt Naiades imis,
Hæserunt Libycam flumina passa sitim.
Nunc aliam flammarum aciem, Ruffine, dolemus,
Quam ciet in dubios præfica Stella rogos.
Mascula quid scholijs nugax solatia narras,
Una fugat lacrymis has Metanæa faces.

V.

Ob altitudinem observari non potuit.

OPtica lex licet hunc obeat dimensa Cometen,
Anceps in vitreum non cadit umbra forum.
Altiùs ascendentem a se spectavit Horizon,
Et tropicos ultrà transilijsse gradus.
Unde trahat genesim malus ignis, & unde colorem,
Quanta sit accenso in syrmate cauda, latet.

Am-

Ambiguo ſepelit cuſtos Natura receſſu,
Quæ neſcita juvant aſtra, timenda juvant.

VI.

In Pictorem Plagiarium.

NE timeas, ſi te quis fortè vocaverit in jus.
Pictori Tabulam cedere, lege ratum eſt.

VII.

Ad Siſaram.

QUò raperis? vitanda tibi plus Hoſte, Jaëlis
Pocula; olent bifidæ naufraga philtra necis.
Altera te belli manet alea; nempe ſopori
Multus ineſt Barach, Debora multa ſiti.
Quære fugæ rimam: Cymbæ ſi fœmina Clavum
Admovet, in tepido lacte Charybdis erit.

VIII.

Ad Ædilum laſcivum Poëtam.

INgenioſus eras quòd amares Ædile, Muſas;
Venales quod ames jam Phyllidas, ingenio ſus.

IX.

Ad amicum de improviſa Cinnæ morte.

QUid tibi Neſtoreos ſpes credula crocitat annos?
In punctiſtitio vivimus, & morimur.

Mors vitæ conviva epulis silicernia miscet.
Non uni lessum dapsilis esca facit.
Ecce super patinas, lautæque tragemata Mensæ
Evomuit subito funere Cinna animam.
Hoc tu docte obitu sapias. Os inter, & offam
Sæpe sibi inveniunt ultima fata viam.

X.

Ad Euphorum.

QUæ tibi sit ducenda, iterum me consulis, uxor;
Euphore non oculis delige, non digitis.

X I.

Ad Cypsulum Adolescentem.

ÆTatem in vitio sumus, atque impendere nugis
Malumus imberbes, non sine fraude, dies.
Annorumque hyemem virtuti, ægramque senectam
Mens vovet, insanis bruta cupidinibus.
Pessima quæ resident in fundo, Cypsule, marcent.
Egeris ut vitam, sic & ages animam.

X I I.

Ad Pollum verbosum sine penu, & pecunia.

VErborum phialas his illis, Polle, propinas;
Et vacuis oneras putidus officiis.
Nunquã rem loqueris. jacitur nunquã anchora linguæ,
Nullaque promissis pondera, nulla fides.

Do-

Dona velim χειρῶν, non ampullantia χειλῶν.
Accepto, quod non das referam, & taceas.

XIII.

Ad Eminentissimum Principem Petrum Aloysium Carafam, Legatum Inferioris Germaniæ.sacra purpura insignitum.

AUcta tuo latè Germania splenduit ostro,
Visa hilari mœstas solvere Sole nives.
Quantus eras tumidi per bellica frigora Rheni?
Præsul ab Austriaco Cæsare quantus eras?
Te duce detonuit Lutheridis ambitus Hydræ;
Romuleos didicit degener ara focos.
Purpureæ hinc serò tenuisti culmina Famæ,
Vectus Hyperboreo desidis axe rotæ.
Gloria Carafis Heroibus eliquat Ostrum
Lentiùs, ut meritis purius inde fluat.

XIV.

In Mopsum Tibicinem ebriosum.

SÆpe bibas, sitias cùm sæpius, hoc ais, arti
Fas liquidum, bucca turgidiore, meæ est.
Diluit hæc ratio si pocula multa, quid audis
Tibicen? Siticen, Mopse eris, & Bibicen.

XV.

In Maurilium piceatis manibus.

QUo tu cunque loco obviam salutes,
Vultu Maurilius severiore,

Hoc

Hoc unum auribus improbè recantat:
Quodcunque eſt ſatis,ad manum eſt. remotos
Fruſtra ſolliciti moramur Indos.
Cenſum curta parabilem creat res.
Non poſſet melius Cato; ſed uncam
Aiunt Maurilio manum renaſci.

XVI.

De Roſâ Centifolia.

UNa nemus florum, ſaturo Roſa Punica faſtu,
Mollè tumens famulis imperat areolis.
At nimium dum vernat,odoratoſque penates
Explicat, in Tyrias ambitioſa comas;
Cantharis adrepit, frondoſoque incubat oſtro,
Et citò nil vegetæ tabida lucis habet.
Claude focum,Roſa:tota peris,ſi tota videris.
Pulchrior ut diù ſis,dimidium placeas.

XVII.

In Thempalum.

Cùm nullum facias,nullum experiaris amicum,
Sæpe rogas,mecum,Thempale, ſepe doles.
Bellus homo es,totuſque ex pyxide:feria,nugas,
Omnia Philologi litterionis habes.
Mens tibi acuta,gravis geritur perſona;ſed in te
Circumflexam odit,Thempale,quiſque fidem.

XVIII.

Ad Mercurij statuam.

MErcurius manibus truncum miraberis, hospes:
Institor est furum: fœnerat ille manus.

XIX.


In Equites alieno ære obstrictos.

CEras Quiritum, Scuta, Tesseras, arcus,
Incisa magnis Ducibus arma, fastosque
Regum superbos, Cæsarumque lemniscos,
Et fama quidquid turgidis crepat bombis,
Ad sæculum hoc vix æstimem duos asses.
Gliscente luxu, nobiles obærati
Majora jactant nomina: omnibus debent.

XX.

Ad Rusticum occultantem alterius pedis vitium.

ALtera pars tunicæ talos tibi serpit ad imos,
Altera suspensa corripiturque manu.
Cur non tota fluit, vel tota reducitur? alter
Est brevior pede pes, inquis. agis metricè.



XXI.

De Euno.

AMisisse putet, libros qui commodat Euno.
Digerit in pluteis non secus atque suos.
Si repetas; reddam, jurat. nonnulla supersunt
Carmina, quæ studio sedulióre legam.
Excusatque moram vario sub schemate. menti
Exciderant; cras, jam nunc faciam, ut redeant.
Vertamus, precor, Eune, vices. Si forte reposcis,
Librorum Dominum te rear, utar ego.

XXII.

In duellorum insaniam.

NE properes fusum Lachesis torquere morantem;
Palæstra cædes ludicra per artem docet.
Qui dirimat lites, & equestris jurgia famæ,
In jus vocatur ensis, & pugilum furor.
Monomachis vetè mors ultima linea vitæ est.
Honoris uno terminatur punctulo.

XXIII.

Lepidum Anglica Matrona commentum, qua Maritum in arca libraria occlusum ex Hollandico carcere liberavit.

CAptivo miserata vicem quæ coniuge, cistam
Ægra gravem simulat ferre, referre libris.
Penelopen præit una, suoque retexere Vlyssi

Pal-

Palladiis potuit libera Fata typis.
Quod memores, vix maius habes hoc, Fama, triumpho.
Prodigium est, ut amans fœmina plus sapiat.

XXIV.

De eadem.

ORba dolens cari divortia coniugis Vxor,
Quem premit Hollandi carceris umbra reum;
Librorum segetem sub operta condidit arca,
Et simul in speciem muneris ipsa tulit:
Depositumque virum hoc cippo complexa redemit,
Insomnes vigilum fallere cauta minas.
Indeprensa oculis latuit nam sarcina, Sponsus
Nempe inter libros non nisi liber erat.

XXV.

Idem Argumentum.

INfartam libris molitur Aquilia capsam,
Eximat ut Batavo e carcere mæsta virum.
Excubiis dolus imposuit, tectumque sub illa
Asseruit Patriis officiosa focis.
Subrisit, plausitque fidem Fortuna maritam,
Quod tantum e libris hauserit ingenium.

XXVI.

In pumicatos huius temporis mores.

NVlla viris barba est, sed acutæ virgula barbæ,
Fœmineis sordent moribus, ore Phryges.

Li-

Lineolam myſtax fruticat monogrammus in unam,
Quam levis obliquo torqueat igne calybs.
Eutropios alit aula, Duces Bellona Spadones,
Et Cathedræ ſine mento, & ſine mente Sophos.
Ipſa etiam imberbem vultu mirata Senatum
Curia, conſcriptos abnuit eſſe Patres.
I nunc, & doleas Fortunæ incommoda Calvæ,
Si magis ad luxum depilis illa facit,

XXVII.


In Rhetorem delirio correptum, dum Abſalonis tragœdiam ſcriberet.

INſanis, juvenem inſanum dum mente revolvis;
Et furis, in refugum dum furit ille Patrem.
Par ambos finis, par exitus excipit ambos:
Illa comà periit, tuque peris capite.

XXVIII.

In Rullum Vociferantem e pulpito.

CEntum raucorum vocem, incudemque Cyclopum,
Dum ſacra conſcendit Pulpita, Rullus habet.
Lenè ubi flexanimum lacrymis, gemitumque petit res,
Altiùs hirritu ſemitonante latrat.
Nilus ineſt labris, & nimbiſonæ Catadupæ.
Qui ſapiat ſurdis aùribus, nnus hic eſt,



XXIX.

In Famosum Latronem, cui nomen, Diluvium.

DIluvium fur unus agit, fur unus in omnes
Naufraga Campanos funera versat agros,
Nullus ad insultus latet, insidiasque Viator:
Nulla vacant damnis oppida, nulla metu.
Divinare libet: desit quamquam Arca Noëmi,
Diluvio huic, triplici sub trabe finis erit.

XXX.

In Maledicum Poëtam.

INcipit iratis epigrammata scribere Musis
Brontius, & cynico jurgia dente vomit.
Affectatque sales, quibus æstuat unda Salonis,
Æmulus arguti vincere vatis opus.
Atqui upupam canit. inspexi si culta lateret
Bilbilis in calido carmine, bilis erat.

XXXI.

Ad Chrysopœa studiosos.

HUc huc adeste fumivenduli, huc omnes
Adeste. vultu Grunnius favilloso,
Et Lulliano denigratior furno,
Volaticum olim, nesciumque defigi
Habet sub ictu semisaciumque Hermam.
Arcana Naturæ ad suum patent lychnum;
Midamque supra sarrit aureos montes,

Domique natas Pervæ Indicas glebas.
En quanta cinere lucra jam recentato
Rettulit ab ollis, fumo, & igne decoxit.

XXXII.

Ad Callippum ridiculè splendidum in cœnis.

LAutitiam, pompamque epulis facturus, in orbem
Ire alia, atque aliâ pocula fronte jubes.
Si quis idem mensis imprudens verna reponat,
Ferte novum, clamas imperiose, vitrum.
Vina tamen redeunt eadem, quæ sorbea gustu
Vitis Abellano parturit ægra solo.
Si biberent oculi, gemmâ tornatus, & auro
Adderet illecebras ille, vel ille calix.
Murrhina non addunt nasum pretiosa Falerno,
Qui bibit his vappam, cariùs inde sitit.

XXXIII.

De Lampade in navis effigiem efformata.

LAmpas in artifici, viden? hæc quæ navigat Argo,
Ipsa Helicen sibi sat lucet, & ipsa Pharon.

XXXIV.

De Mutio Scævola ad Porsenam.

SI tibi, Rex, falso vitam non abstulit ictu
Dextera, dedecori militat usta tuo.
Mentito, quòd vivis, habes a milite. vultu
Ni Regem exueres, Porsena, funus eras.

De

XXXV.

De eodem.

INvidus eripuit flammæ cùm Porſena dextram,
Eripuit Famæ Porſena dimidium.
Vincere pugnacem rara eſt ſi gloria Regem,
Rarior eſt mortem vincere poſſe ſuam.

XXXVI.

In Vappium.

OMnia ab eventu metitur Vappius uno.
Quàm ſcitè! ſtultis nempe Magiſter hic eſt.

XXXVII.

In Harpalum acceptas a ſummis Dynaſtis literas oſtentantem.

MEnte alogus, res noſſe omnes putat Harpalus, & ſe
Dignatum auguſtis jactat epiſtolijs.
Accipit a Latio ſacrorum arcana Senatu,
Quæ nec ſopito ſomniat amne Tybris.
Europæ, Libyæque Duces ſibi plurima ſcribunt;
Et vultu in ſpeciem parturiente legit.
Hæc Meſſeniamque Pylon, captamque Methonem
Littera fert, Venetis ſuccubuiſſe tubis. Navarinum.
Annulus Auſtriaci quam ſignat Cæſaris, omnem
Funeream Budæ nunciat Iliadem.
En binæ a Perua, binæque a Memnone chartæ;
En aliæ a refugis finibus Vtopiæ.

Ut ruat hæc fatuis tandem Carthago tabellis,
Vna manus ſatis eſt, ſcipio ſi properes.

XXXVIII.

In Galbulam teleſcopio tenus mathematicum;

VOlueret immanem cum rupto e vertice fumum
Veſuius, & tetro rudera adeſa chao.
Galbula proſpectans, rimante per omnia vitro,
Spiramenta, ſinus, fulgura, ſpectra, minas;
Pulvereamque iterum dimenſus in aère nubem,
Tandem, ait, hanc regerit non niſi flamma luem.
Macte vir ingenio: duce te penitiſſima montis
Novimus; unde cinis vibret? ab igne cinis.

XXXIX.

Ad Fuſculum de verbo, Parere.

Aſſeris ingenio parere abſurdum una Latinis
Fœmina in hoc verbum jus habet, una parit.
Pallada cùm peperit, cerebri dehiſcente lacuna,
Androgynum dices ergo fuiſſe Jovem.

XL.

Ad amicum vatem Capuæ ramice laborantem.

O Quis agit Vulturnum æſtus per ſaxa fragoſus?
Pallida quid rauco murmurat unda vado?
Aſſonat ah Lucinne, tuis ſingultibus amnis;
Et pietas de te plurima tangit aquas.
Aſſueras numeris Tiphatem, umbraſque virentes
Mu-

Musicus Orpheæ flectere lege Lyræ.
Nunc morbosa lues plectrum inficit. emoritur vox,
Tristior una hæret Pegasus in lacryma.
Sanguinei introrsus vepres, rabidæque mariscæ,
Aversi vitiant ulceris epiphoram.
Subsiliunt punctim venæ, vibrante capillo,
Multaque ramosis ictibus urget acus.
Ulceris appendix locus est: inflicta dolemus,
Si qua subit refugo lumine damna pudor.
Hæccine, Phœbe, tuo debetur Laurea Vati,
Cui male pro merita Daphnide ficus hiat?

XLI.

De Monetis resectis.

GRex pecorum tibi dat percussa pecunia nomen,
Hinc puto te toties tondet Avarities.

XLII.

Ad Lysum dentibus laborantem.

LYse doles tibi deciduos tabescere dentes,
Vulsaque desertæ cornua labra gulæ.
Qui superant, trepidi ludunt oscilla molares;
Aut gelidi sensu languidiore stupent.
Alituum non est carptim libare minutal,
Et cerebrum Mullis findere, & exta Scaris.
Solenas, mitulosque & hiulcis ostrea pinnis,
Turbinei non est mandere poma maris.
Emptitijs frustra reparas os ossibus. unum
Hoc reliquum est; Pappam consule, Lyse, Jovem.

XLIII.

In Hermippum ſenem actuoſum.

VIx regit Hermippum baculo defecta ſenectus
  Jam tripodem, greſſu ne ruat ipſe ſuo.
Immodicuſque moræ tamen omnes ambulat horas,
  Sive viæ tumeant pulvere, ſive luto.
Quamquam vertigo tentet caput, itque reditque,
  Nec medico ſeſe colligit arbitrio.
Ni ſapiat tandem, moremque hunc deſinat ultrò.
  Fatalem quadrupes incidet in tumulum.

XLIV.

Fœminarum garrulitas.

SI fatuos a fando olim dixere Latini,
  Scire velim, quænam fœmina non fatua eſt?

XLV.

Caryophyllum menſe Januario, Principi donatum, poſt Hæreſim eiuratam, Scholam ingreſſo.

FRondeus hic Phœnix,& odoræ gratia lucis,
  Pat tibi feſtino murice munus hiat.
Impatiens tepidis pubeſcere noluit aſtris;
  Noluit Aprili pandere Sole comas.
Floruit hibernus, vicini transfuga Veris,
  Apta tuæ melior nectere ſerta fugæ.

XLVI.

In personatos sub mortis larua.

ORa laboratis simulat gens ebria spectris,
Anteit insanis & sua fata iocis.
Credideris Salios errare per Orgia Manes,
Vivaque per medias ludere busta vias.
Vna hæc ad fatuum deerant dispendia luxum;
Cariùs ut constent funera, Mors emitur.

XLVII.

Idem Argumentum.

INdeprensa aliis, nativæ transfuga famæ
Qui malè nugaci lumina morte premis,
Bis miser es, vultu simulas dum fata bifronti,
Et vitæ redimis gaudia, dum moreris.
Nimirùm plus mortis habet mors ludicra; quando
Ipsam etiam mentem demere ficta potest.

XLVIII.

In Eosdem.

O diræ facies! pictæ sub imagine mortis
Saltat ad incestos Enthea turba choros.
Et patia exigui longissima prospicit Ævi,
Cùm ferat obductis illita fata genis.
Mortales nimium certè sumus; ipsa fugaci
Delicias Vitæ funeris umbra facit.

XLIX.

Ad Lælium.
Cur promissam de hyemali Rosa Oden non miserit.

DOna Rosæ poscas cum vivida, tabida fingis,
Et tumulum cunis nacta repentè parem.
Falleris; ingenio floret quæ culta colono,
Non brevis in celerem statque, caditque diem.
Censuram, emunctæque timet vim naris. aquosæ
Nam soboles hyemis, non nisi frigidum olet.

L.

In odoratum luxum cœnarum.

NAsus inest, o monstra! gulæ, cœnisque paratis
Vncta fragrant variam fercula Seplasiam.
Moschus in argento natat, & natat ambar in auro.
Mollis odorata Naiade mappa madet.
Ipsa etiam eliciunt Arabum plumaria nimbos,
Ne qua brevi pedat musca susurra tubà.
Quæ delira epulis mens est? qui glutit odorem,
Nonne solæcismum gutturis ille facit?

LI.

In Jambulum devexa ætate vino obrutum.

MItte scyphos, pateralque: satis Jambule, bibisi,
Ne totus pereas, collige vasa senex.
Hæc surdo cecini: subitoque apoplecticus ictu
Exacuit thyrsis ebria fata suis.

Hau-

Hauserat immodicus vites, ipsumque Vesevum,
Gutta merobibulos diluit una dies.

LII.

In obscœnas picturas.

QUis ferat obscœno pictas tot Taidas ausu?
Venalesque malo in lumine prostibulas.
O ubi se Cyprijs emerget fluctibus, haurit
Si pudor ex ipsa naufragium tabulâ?

LIII.

Mors sculpta in succino.

INgenium mortis viden? hac phaëntotide gemma,
Mersit ubi Magnos, ridet & in lacrymis.

LIV.

In Scolpum.

CUbiculi dum quis sui fores pulsat,
Securioris Scolpus otij vindex,
Jubet ingredi, digitoque signat intento
Quasi cœpta, non expleta pensa Psalmorum.
Si læta narret hospes, & vacet nugis,
De codice manum tollit: altiùs figit,
Si teter, & morosus, & silet totus.
O mimicè pium, & licenter urbanum!

L V.

In Arcamum.

CLamosi Lamiam fori togatam
Præfert Arcamus: abdit, exeritque
Venales oculos, Reisque totus
Nummatis vacat, explicatque lites.
Si quis paupere supplicat libello,
Barbam palpat, & abnuente vultu
Secum mussitat; Augurumque formà,
Has voces, Alio die; videbo;
Ni res aurea tinniat, videbo;
Ni munuscula tussiant, videbo,
Hanc cramben recoquit laciniosis,
Et Sellariolis, macræque turbæ.
*V*is dicam tibi quid velint Clientes?
Ut tandem, Arcame, desinas videre.

L V I.

Asceticum Monitum.

VIs omnem complecti animo, Stoamque, Licèumq;
Hæc duo, nec cures cætera, disce memor.
Terminus a quo quid signet, quid Terminus ad quem.
Ille vices vitæ suggerit, hic cinerem.

LVII.

In Bibonem nasutissimum qui bibendo scyphum infregit.

PEssime nasorum, nasutorumque, bibendo
Vina voras, simul & frangere vitra potes.
Flabra ne turbinei difflas horrentia Cauri?
Cymbia tu, cymbas obruit ille mari.
Quàm vellem signata forent hæc Consule vina;
Vt male te virgis cæderet ille suis.

LVIII.

Eiusdem excusatio.

DUm bibit, extremoque inhians allambere naso
Nititur in vitreo Massica vina Scypho,
Improvisus, ait, rictu distentus hiulco,
Cur etiam sua non pocula nasus habet?
Æqua dedit nares nobis natura gemellas,
Posset ut hauriri sorbilis inde liquor.
Unus odoretur jentacula nasus, & unus
Tantaleam subeat siccior usque sitim!
Dixerat, & calicem sese demersit in imum,
Protinus in rimas dissiluitque calix.
Nasus in hoc meritam effudit, me judice, bilem;
Fas est qui toties mungitur, ille bibat.

L I X.

Conficiendi tabaci officina conflagravit.

VI ſubita exarſere ædes, ubi publica prælis
  Ars molito Braſilùm germine lucra facit.
Parce queri Quæſtor: minor eſt jactura periclo,
  Qui fuerat cenſus pulveris, eſt cineris.

L X.

Idem.

HÆc rata lex olim, plauſuque excepta ſequaci,
  Ut malè qui fumum venditat, igne luat.

L X I.

Curioſitas deluſa.

QUà Cererem ſulcis, & Pallada comit olivis,
  Et tumidis Bacchum * Baxaris ora botris
Relliquias Urbis ſaxa inter hiulca ſepultæ
  Indicat in viduo poſthuma fama jugo.
Venimus huc abrupta per ardua: nil niſi vepres,
  Lappaque dentatis viſa rigere rubis.
Non pes, non caput Vrbis erat, non buſta ruinæ,
  Vel quæ oculos ſaltem paſceret umbra meos.
Carduus & ſilices, hæc Templa, Theatra, Coloſſi
  Balnea, Cryptæ, Arcus, carduus & ſilices.
Pagina Cardani ſaperet plus, una Petronj,
  Pro nihilo tanti cura, laborque ſtetit.

* Delitioſus locus prope Panormum.

De

LXII.

De Picturatis Polidori ædibus.

SI quis adit rigidam Polidori Judicis aulam,
Symbolon hoc legit in limine; Lex, & Honor.
Et Nemesin,ſtrictaſque crepant aulæa ſecures,
Picta unam ſpirat Bibliotheca Themin.
Militat hæc lucro ſpecies,& ſcrinia ſpectat.
Quid quid agit laribus diſcolor, emptus agit.
Juſtitiam facilis labor eſt appingere muris:
Juſtitiam cauſæ reddere, difficile eſt.

LXIII.

In Aſtacum immodicè ſternuentem.

NOn buccinæ,non tympana rabidi Martis,
Non æneis exploſa flamma tormentis,
Non nemora cornibus ululata Faunorum
Immanè ſternutantis Aſtaci bombos
Æquare poſſint.turbines procellarum,
Sciſſæque nubes fulminum minùs ſtrident:
Minùs allatratas Scylla devorat ſyrtes.
Ætnæ Cyclopes,& timentur incudes,
Vbi naſiperticatus iſte vix barrit.
Excuſſa tellus fluctuat, lares vibrant,
Undante motu,ſellulæque, lectique
Pluteique lychnique, matulæque nocturnæ
Saliunt,dehiſcunt,turbinantur in gyrum.
Binas tabaci abſumit in diem libras;
Cunicularem pulvis hìc facit naſum.

LXIV.

In Ollum Hebraici sermonis magistrum imperitum, & negligentem.

OLlus Jesseæ docet incunabula linguæ,
Et multo gravidam numine Grammaticen?
Nil tamen in toto sonat indoctissimus anno,
Quàm pictas vario schemate litterulas.
Radices verborum, & sensa latentia punctis
Præterit, ignavæ sedula larva scholæ.
* Doctrina Dispeream si primum * Aleph intelligit, aut * Beth;
* Domus. Nescit enim in libris esse; vel esse domi.

LXV.

In obsoletam Theologiam Felini Typis interdictam.

FAstidita abavis glossemata Gymnosophistis,
Quæ propè Palladio in pulvere funus olent,
Destinat ad prælum Felinus, & omine fausto
Iam parat excusis cornua picta libris.
Atq; opere in toto Tò Tò monogrãma pererrat,
Singula plus decies pagina Tò repetit.
Tò physicè verum est, falsum moraliter, & Tò
Vnivocè sonat hic, æquivocè sonat hic.
Militat in cunctis Totilas sine casside gnomis;
Et Tomyris multo sanguinis utre tumet.
Si numeres Tò, fulmineis per inania bombis
Penè tonitralem reberis esse Iovem.
Plaudite io Scioli, conscribit biblia simplex
Syllaba, si varias digerit una Theses.

LXVI.

Ad Fasanum de Torquati Taßi poëmate in Neapolitanum sermonem traducto.

ARma piumq;Ducem,atque assertam Numinis Urnā
Vix imitandum Itali nobile Vatis opus;
Das iterum famæ, patriisque tumescere musis
Bella Sionèis diu celebrata tubis.
Tantaque in arguta latet ars & gratia linguà,
In numeris tantam vim Gelasinus habet;
Major ut Autographo se assurgere gaudeat; & plus
Nescio quid lepido in carmine Tassus amet;

LXVII.

In Decrepitum libidinosum.

CAnitiem genio indulget,fatique sub ipsa
Falce calens,pergit luxuriare Chremes.
Accisam morbis animam, bustoque propinquam
Prostibuli pellex noctua Lais habet.
Quis furor hic? vitiis etiam silicernia nubunt;
Et prope cum desunt vivere, plus pereunt.

LXVIII.

Vindemia in Vesuviano effusis imbribus perijt.

VItifero flueret ne lachryma multa Vesevo,
Quis credat? pluviæ vos vetuistis aquæ.

L X I X.

In funere Dianæ Caracciolæ, cui magnificè Neapoli parentatum in Templo Societatis Jesu.

LUna laboranti si decolor orbe nigrescat
Ingeminant radios astra serena suos.
Dianæ ad tumulum magni argumenta doloris,
Ut magis ardescant sydera, cerea sunt.

L X X.

Idem.

DEgenerem in cervum jactis Acteona lymphis
Vertit inacesso Delia visa lacu.
Hæc oculis data pœna; tuæ dum funera lucis
Prosequimur nostris rapta Diana plagis,
Vt dolor atratæ constantior hæreat Vrnæ,
In Nioben mæstis indue nos lacrymis.

L X X I.

Idem.

LÆta puerperiis, quæ vitæ insigne ferebat
Syrmate nunc viduo tecta Diana latet.
Mors rapuit, tædamque rogi convertit in usum,
Ausa simul rigida tollere falce manum.
Fallor? an in falcem curvari sueta, sequestri
Omnia fert secum funeris ipsa sui?

In

LXXII.


In eruditam floridamque D. Petri Casaburi Poësin.

Aonidum decus, ac Tusci lux maxima Pindi,
Cui fluit in lepidos Castalis unda Tagos.
Imperiosum animis afflant tua carmina Phœbum,
Dant propè divinos musica plectra modos,
Omnia par Orpheo; superas quin Orphea cantu:
Ille Feras traxit, tu trahis & Charites.

LXXIII.

Ad Infantem Archiducem Austriæ multi nominem.

O Vina coronatus sortitus nomina Divum,
Quæ fuerant Atavis singula, solus eris.
Magnus Iesseæ Coniux Heroidis, in Te
Nescio quid taciti numinis omen habet.
Qui lævum Hispanis Zebedejus intonat oris,
Archiduci simul & fulmen & ensis adest.
Exciet augustumque animis Ignatius ignem,
Vindice quo Batauûm palleat Hydra fugax:
Eustachius flammat natali Sirion astro,
Cogat ut in prædam Thracia regna tuam.
Tot puer Indigetum titulos implere merendo
Num poteris? Puer es Cæsaris, ergo potes.



LXXIV.

Ad eundem Julio menſe natum.

NOcte ſatus, Phœbo Nemeæum urgente Leonem
Parvulus Alcidis parta trophæa præit.
Auſtriaco ſignat felix bene Iulius ortum,
Scilicet Auguſtos colliget unus Avos.

LXXV.

Ad Leopoldum Cæſarem.

TErtia dat ſobolem Cæſar tibi Nupta: Trigono
Nempe beat cunas ſidere fauſta Venus.

LXXVI.

De Cincio
In concinnandis Clepſydris occupato.

CLepſydra Romanorum Abavis addicta diſertis,
Docta per alternas didere tempus aquas;
Cincius illecebram veteri,& decus addidit arti,
Seque laboratis ſuſpicit uſque vitris.
Nempe canaliculos ſalientibus imbuit undis,
Atque ſuſurranti gaudia fluxa ioco.
Clepſydra, fac numeret raucis hæc litibus horas,
Non deerit Gracchis fiſtula,nam reſonat.

L X X V I I.

Ad Eundem.

CLepsydra quæ curas tibi versilis occupat omnes,
Non tibi metitur, subripit illa diem.

L X X V I I I.

In Lycum gulamancipium.

CVr Lycus exclamat toties, ò Tempora! dicam:
Quattuor ille odit Tempora, ventriloquus.

L X X I X.

Nequissimus Grassator vulgo dictus, Abas Cæsar, cuius caput abscissum sub chartacea corona ad ludibrium Neapoli prostitutum.

CAllidus ad cædes sibi cernere visus acutùm
Cæsar, & infami subdere regna dolo.
Tendiculas has fraudum & cæca sophismata præceps
Debuerat laqueo solvere furca brevi.
At scelerum ambages celeri pila diluit ictu.
Glans animam extorsit plumbea, Verris erat.
Ingenium Fati logicum est in Barbara furax,
Collige quàm merito in Cæsare cæsus obit.

L X X X.

De eodem.

CÆsar hic, an Brutus? neutrumq; & utrumq; videtur:
Cùm potuit rapto vivere, brutus erat;
Cum capitis minor interiit, gestare coronam
Iussus, & hoc habuit Cæsaris, erubuit.

L X X X I.

De Eodem.

NOminis imperiosam umbram tãdem exuit, & jam
In medio fœtet putrida calva foro.
Famosamque latrociniis, & cædibus, unco
Vindice, fortunam Cæsaris hasta tulit.

L X X X I I.

Cicada fidicina.

EVnomus in lepidos dum fila lacesseret ictus,
Æmulus argutæ vincere bella lyræ.
Altera multiplici digitorum incisa recursu
Chorda, verecundo pectine dissiluit:
At volat improvisa, brevique innixa lacunæ.
Asseruit fidibus cauta Cicada fidem.
Fortunæ lusus. cecinit Cytharæda triumphum,
Quæ creat æstivis auribus exitium.

LXXXIII.

In Phobum nequissimè furacissimum.

VOrago fraudum multiplex;
Protheus rapinarum Phobus,
Privata, publica abstrahit;
Fruges Colonis abstrahit:
Nautisque nassas abstrahit:
Viduisque dotes, Orphanis,
Fiscoque census abstrahit.
Nec crimini id vertit sibi.
Nullum esse censet è schola
Mendacium Abstrahentium.

LXXXIV.

In Tappulum fictè tussientem, & vino dedilum.

DUm te sicca quatit tussis, lenire Lyæo
Plus caperis. medicè hoc, Tappule; pota madet.

LXXXV.

In Thaidem suggesta florum ornatam.

GEmmarum tutulis, & odoro flore capillum
Nectit ut emptores comptula Thais emat.
Fert Cybele turrim, pictumque Semiramis hortum,
Fert & Amalthæas prodiga frontis opes.
Si quæ plus gestat, magis est formosa Venustas,
Fœmineum vincet cista vel una caput.

LXXXVI.

In Horologio Solari.

FAlleris. imponit lentum tibi tempus in horas;
Non est quod mendax indicat umbra, fuit.

LXXXVII.

Aliud.

QUàm breve sit fluxæ spatiumque volatile vitæ,
Occiduum tenui linea signat acu.

LXXXVIII.

Adulta æstate noctu pluit ante deditionem Nekesel Caprara Duci.

EXcidium Nekesel præiit cur nubilus Æther
Densus.& in pluvium nox properata Jovem?
An pudor occuluit refugam formidine Lunam,
Et sibi funereum palluit ante diem?
An ruit obsessas Capræ dum sidus in arces,
Sæviit æstivæ nuncia cladis hyems?

LXXXIX.

De inauratis Cubilium tabulis, ad Candidum.

NOn satis illuso radiat cortina sub auro;
Non satis intexto culcitra Gange tumet.
Inque pedes ipsos, thalamique cupressina fulcra

Artifici linitur fusilis unda Tago.
Quæ nova sopiti capiunt hinc gaudia sensus?
Non est hoc cimicum consuluisse focis?
Otia præ curis constant, Procerumque libido
Plus fatuè dormit, Candide, quàm vigilat.

X C.

Ad Publium de inopum superbia.

QUis ferat hoc Publi? multos algente camino
Altior in fastu paupere fumus obit.

X C I.

Ad Serenissimum Hungariæ Regem Josephum Januario mense in Romanorum Regem inauguratum.

OMnium Amor, Romæ Rex omnibus inclyte votis
Spem quantam Latij provehis Imperij?
Ante diem erudiit virtus innata triumphis,
Funeret Odrysium sidus ut ante diem.
Assonet Arctois gens Romula plausibus, & se
Major eat Domino Tybridis unda suo.
Tarpejam semel olim Arcem vigil Anser, at Ales
Austriadum per tot sæcula servat adhuc.

X C I I.

Ad Eundem.

BIna tibi si flos primæ dat Regna Juventæ,
Incipis Augusti vincere vota Patris;
Ergo opus est Axem mutet, currumque Bootes;
Vertat & in celeres ad nova sceptra rotas.

XCIII.

Idem.

SAlve o Pannoniæ Romam largite Coronæ,
Auſtriaco fœlix omine Jane biceps.
Lunigeras victo noctes Rex merget in Hebro:
Gallicinos Rheno merget in amne dies.
In ſobolem totus migrat ſi Cæſar, utrique
Anguſtus, niſi ſeſe ampliet, Orbis erit.

XCIV.

Excellentiſſimo Principi D. Franciſco de Benavides Sancti Stephani Comiti, ac Neapolitano Proregi.

SUmma tuos nectit Benavidie, gloria Faſces;
Dum tibi dat Regum ſubſtinuiſſe vices.
Fauſta Gigantæo molitus fræna Peloro,
Nulla rebellanti fluctuat unda freto.
Parthenope nummis jam dudum exhauſta recíſis
Una Numas in Te gaudet, & una Titos.

XCV.

Mors Chryſtallina.

COncolor argento, & pretioſi frigoris altrix,
Gemma ſub Arctois nata rigere jugis,
Dædalea ſudata manu, ſcalproque magiſtro,
Vivida mentitæ Symbola Mortis habet.
Et rapit incisa nive ſculptilis omnium amores;
Quò magis eſt frangi lubrica, blanda magis.

Uſ-

Usque adeo casura placent Mortalibus: ipsa
In pretio mors est, si periisse potest.

XCVI.

In otium Pausilypanum.

CÆrula Pausilypi collem quà nubilat æstas,
Multa per æquoreas ganea fumat aquas.
Hìc geminant se Fata; & censum, annosque supinos
Sedula Mors uno devorat in * Scopulo.

* Hoc nomen Mergellinæ stativis

XCVII.

Hostilis navis, cui nomen, Inferno, Siciliam infestat.


QUis furor o velis audacibus induit Orcum?
Et ruit in messem, Sicelis ora, tuam?
Ah cave, ne Stygiæ fias dos nupta rapinæ:
Te satis hoc Cereris filia rapta docet.

XCVIII.

In Lycophronem luscum, & maleficum.

OFfusis Lycophron oculis vel somnia, vel quæ
Nulla, sagax rigido nunciat acta foro.
Dij facite, ut nebulæ aut cœcas densentur in umbras;
Aut oculos obeat * Gutta Serena suos.

* Affectio oculorum quæ foris non apparet.



X C I X.

In Troiulum Leguleium
Locupleti causa clamosum, inopi raucum.

PHlegmaticam ſimulas anginam,& gutturis æſtum,
Si tenui vacuus ſupplicet ære cliens.
Nolenti tibi nulla ſonat, vox multa volenti:
Vox abit in varias rauca, vel alta vices.
Omnia nam calles quæ ſunt in corpore Juris;
Et modo jura liquent,& modo jura gelant.

C.

In Eumdem.

TRoiule cum tumeas vultu ſat Craſſus opimo,
Niteris exigua fingere voce Macrum.
Stentoras,Enceladumque tonas, ubi Curia lucro eſt;
Una ſilent cauſis obruta verba piis.
Hæc nova vis morbi: fatuo ne crimine pecces,
Unciolam ſalis & judicii,Recipe.

C I.

In Cinnam doctrinarum omnium compendium in Rubricarum veſtigatione cenſentem.

NIl relegis,nil & loqueris niſi,Cinna,Rubricas;
Serius has,nugax has opulenter oles.
Cætera derides veterum commenta Sophorum;
Non tibi Peripaton,non tibi Stoa ſapit.
Euclidis ſordent elementa, aphoriſmata Coi;

Nul-

Nulla fluit genio Pegasis unda tuo.
Una Rubricarum laudas si dogmata, possum
Te natum e ligno dicere Mercurium.

C I I.

In Munnam absurdè gulosum.

OEsophagum fert Munna oculis, cœnasque colorat:
Plus sapiunt, si plus fercula picta, gulæ.
Encaustæ radiant, patinæque, & cultra, salinumque,
Adriaca faciunt Iride vitra sitim.
Multus & in Rhombis latet histrio, multus in Apris;
Multus & altilium iuscula fucus obit.
Dum videt hæc, vorat hæc, nocturnas exedit horas;
Carior est somno ganea blanda suo.
Pratogenem dices comedonem accumbere Mensis;
Nempe manum nescit tollere de Tabula.

C I I I.

In Ponticum serentem phaseolos in florum hortulo.

AReolis ubi jam tulipas mandarat amœnas;
Scriptaque multigenis caryophylla comis;
Ponticus & siliquas sevit, vilemque phaselum.
Totus & in cochleas degener hortus ijt.
Accidit hoc passim: si quis Floralia ludat,
Cornea nata domi germina messor alit.

C I V.

De Vespa in Succino.

VIvit morte sua, tumuloque obducta bigemmi,
Enumerat nitidos Succina Vespa dies.
Degener in pretium sic cælitis omina vitæ
Elicit e lacrymis culpa sepulta suis.

C V.

Libido, & avaritia æquè noxia ad Cotilum.

FOeda Venus dolor est, dolus est sacer ambitus auri:
Parturit hic lites, parturit illa luem.
Vrit Acidalias famosa pudendagra curas,
Et semesa stupris ilia putrè fluunt,
Sordet Avarities, censumque auctura nepotum,
Fœnerat in damnum ditior ipsa suum.
Cotile, quò redimas animam, unum hoc imprime votis,
Parce tenax loculos condere, conde oculos.

C V I.

In Tuccam ineptissimè negotiosùm.

PRagmaticus, rerumque capax vult Tucca videri,
Qui neque de filo differat, atque pilo.
Explicat hinc apochas, simul explicat inde libellos;
Non secus ac triplici debeat acta foro.
Multa per incinctos dependet pagina lumbos.
Multa onerat digitos syngrapha, multa sinum.
At quod agit; peragit numquam, Scribonius alter;

Nil

Nil ſapit,& Curſor iure Papyrius eſt.
Siqua ſecanda inſtat lis,immemor æſtuat,hæret;
Scripta habeat quamvis plurima præ manibus.

CVII.

Opes Adiaphora, ſeu indifferentes.

DIvitiæ ex animo pendent,variantque viciſſim.
Si bonus es,bona ſunt:Si malus es,mala ſunt.

CVIII.

De Natta Hæretico Magiſtello Calvitiem occultante.

VT nuda redimat vitia depilis calvæ,
Domi,foriſque Natta pranſus,impranſus,
Inveſte cranium pileo tegit curto.
Libros revolvat tacitus, aut palæſtritis
Doctam Sophorum raucus expuat tuſſim;
Stertat ſupinus oſcitator in lecto,
Nunquam recalva fronte penulam ſolvit.
Vibrante cerebro febriat, æſtuet totus,
Sineſianas uſque ſurdus ad laudes,
Galeam expilato vertici premit fixam,
Ad Sacra tantùm capite nudus accedit.
Vna arguit,nil miror, Ara Calvinum.

CIX.

In Galbam Vinoſum, & iracundum.

ET rabit,& * Scævam poſt ebria pocula latrat,
Hinc biberet medicas Galba,ſed horret aquas.

* Canum furor dum ringunt.

Ad

C X.

Ad Pandarum vitrarium Mathematicum, irridentem vocem Decanatus in Planetis.

PAndare, cur Martem & Solem quandoq; Decanum,
Cum neque vim capias nominis, ire negas?
Ringeris in Socios, cum Cœlo totus aberres;
Et geminum censes, astra Decana, Canem.
Euge, nihil supra: rabidam sapis, euge, Mathesim.
Debetur sannis Cœna canina tuis.

C X I.

In Bassum flatuosum indecenter.


MOrbũ habet hũc Bassus, ciet undiq; & undiq; flatus.
Nec dubitem Bassum dicere Ventidium.

Dux Romanus Parthorum victor ex Trogo.

C X I I.

In Oppium per æstatem prope Puteum effusè nugari solitum.

PVteolis nugax insistit, & oscitat horas
Oppius; hinc Baias non nisi verba sonant.



Idem

CXIIII.

Idem.

Æquoreos olim ad fluctus Demosthena narrant
Et linguam,& gestus erudiisse suos.
Garrulus in puteum fatuas eructat Athenas
Oppius,insano pinguis aqualiculo.
Ac tot facundis glomerat mendacia gerris,
Vt nec vasta satis clepsydra sit,Puteus.

CXIV.

De Aqua molendini.

QVæ Cererem refugos molit irrequieta per orbes
Vnda,sitimne levat versilis,anne famem?

CXV.

Ad Celsum de Fannio divitiarum cupidissimo.

TOtus in augenda male Fannius obruitur re.
Lucra remetitur,prædia vendit, emit.
Celse,quid invideas? votis inflige securim.
Qui nimium lucet,luget & ille magis.
Fac capiat penus Oceanum, Mundumque supellex.
Multæ epulæ,virus; penula multa, labor.
Dulce bibes,si parca tuæ sint pocula cœnæ,
Integra si potes dolia, naufragium est.



EPIGRAMMATON

LIBER III.

I.

Fatuorum Principum Princeps Heliogabalus in Euripis vino oppletis navales Circenses exhibuit, occisus per cloacas ductus, & proiectus in Tiberim.
ex Lampridio.

MVsteus ingenio, Fortunæque ebrius æstro,
 Thyadas ad Circum duxit Aquariolas.
Doliaque in naves, in prælia præla migrarunt;
 Velaque Thyrsigeram ludere visa Thetin.
Neptuno famulum Semele non passa Lyæum,
 Fulminei petiit tela marita Jovis.
Obruor Euripis, inquit, tua: consule Gnato.
 Arida vinoso Cæsare Roma sitit.
Juppiter hæc: pereat madidus, Tyberisque rependat.
 Vnda, sepulchralem naufraga Naumachiam.

II.

Carolus V. abdicat Imperium.

HOspitem ubi votis ingentem, armisq;* Tropeucum
 Thebais Aufriaden vidit Ibera Ducem,

* Triumphalem.

Ob-

Obſtupuit,tenui poſſet ne anguſta receſſu
Abdere,cui geminus non ſatis Orbis erat?
Nil faciem ſylvæ,nil Carolus horruit umbram,
Laurigerum aſſuetus diu coluiſſe nemus.
Cùm patuit, Reges ſeſe ſuper extulit omnes;
Se ſuper,& maior Cæſare,cùm latuit.

III.

De eodem.

VIctricem Imperio dediſſe lucem
Fœlix Auſtria Carolum fatetur.
Europen,Libyemque tot triumphis
Quot bellis domuit; iugoque Reges
Preſſit Dux animo, manuque Miles,
At dum cauta receptui tubarum
Virtus concinuit ſono, vel ipſum
Cælum vincere viſus,abdicatis
Regnorum phaleris; ſuuſque Sortem
Riſit ſphæromacham;fugæque laus hæc
Heroæ,prçiit ſubactam & Arcton,
Thracumque,Batavumque, Pannonumque,
Et victum Ammericæ latentis Orbem:
Omnes ante Duces. Avoſque,Magnum
Anguſti laris incolam,atque Eremi
Primum ex Cæſare regium Satorem
Fælix Auſtria Carolum loquetur.

IV.

De novitijs Pyrotechniæ ingeniis ad Polum.

QVòd Demiurgo cudat in dies ausu
Tormenta Mars flammata, & alites Ætnas,
Pugnetque pugnas igneus nitro pulvis,
Nil, Pole, miror: militum manus frigent.

V.

Ad Rusticum
De Anselmo Mario Pinto fatuè ridiculo.

QVæ Pintum famæ tam cura binominis urit,
Ut prope famosis destinet Anticyris?
Dixeris Anselmum, Marium simul ipse reponit:
Anselmum replices, & replicat Marium.
Alterutrum demas, subita incandescit ab ira.
Ni gemino appelles nomine, surdus erit.
Compositis gaudet simplex caput; & sibi plaudit,
Redditur ut voto consona biga suo.
Rustice, quam faciles sumus ad deliria? mentem
Cum vix bina premunt nomina, decoquimus.

VI.

In Bassum Misantropum.

VAleant ne rectè quotquot obviam spectat
Acri iuventa fervidos, rogat Bassus.
Vultuque fluctuante, temporum damnat,
Et vim maleficam astrorum, & horridos Austros,
Ur-

Urbanus ad fastidium. facit tanti
Salvam salutem, Civiumque fortunas?
Necrophorus * ille est; ferre non potest vivos.

* Vespillo, mortuorum bajulus.

VII.

Ad Volsonum integrè Atomistam.

SI paleis par & Cereri, Volsone, medulla est,
Atque eadem species omnium, idemque genus.
Nil pecudi invideas: dabit horrea, follis aristæ;
Et tua cessabit ganea cum stabulis.

VIII.

De Musico Eunucho Iuris lauream adepto.

NOn absurdè olim tractabas musica: mutum
Nunc te Causidicum Curia nomen habet.

IX.

Idem.

SI dare Cantores, & vendere verba fatemur,
Et dare Causidici, & vendere verba solent.

X.

De eodem.

LEgitimos inter Patres quis censeat: & quis
Audeat Eunuchum dicere Patritium?

X I.

Ad Lygdum.

LYgde quid oblitum,& ſub inerti ſidere natum
 Te quereris,nullis Faſcibus eſſe parem?
Ne doleas;animum pelago ſolare Magiſtro,
 Enatat in ſumma non niſi ſuber aqua.

X I I.

In Cinnam domi ieiunum, foris ornatis uſum veſtibus.

ATtalicas ut emat tunicas, ſua prædia vendit;
 Et macer in ſatura ſindone Cinna riget.
Sic pro veſte cibum Bombyx habet:atque ubi lucet
 Sericus, in nitido diſcit egere globo;
Stragula delirant,ſtomachi plectuntur inanes.
 Quod genus hoc Monſtri eſt? luxum alit eſuries.

X I I I.

De Religioſo valetudinario prope Templum tranſlato.

MOrtis triſte ſuburbium,
 Sedes hoſpita funerum,
Morborumque Colonia,
Templo proxima ſiſtitur:
Ægris ſcilicet omnibus
Aut Arà,aut Tumulo eſt opus.

XIV.

Ad Xilinum Poëtam de Syllaba male producta.

PRoduxti semel atque iterum, Xiline, Peponem;
Scilicet ut saperent Lesbica metra salem.
Falsus es: irrepsit nam longa cucurbita metris,
Nec condita, brevi insulsior & pepone.

XV.

In Obaratum & furem.

ÆRe gravis, nova quid cumulas tibi pondera furtis?
An * Spartostaticen scire Fabulle cupis?

* Quantum ponderis ferât fumi docet.

XVI.

Hortensius ob intensam in dicendo vocem interiit.

DUm Periclem tonat e rostris Hortensius, & se
Fulmineum plauso velite rhetor agit,
Efflandæ momentum animæ vox excita clausit;
Mœstaque funereis clepsydra fluxit aquis.
Aruit effusi vi sanguinis eloquij flos.
Actor & ipse sui funeris, ipse cliens.
Æmulus an Tullj moriens quoque visus? utrique
Lingua laboratam debuit alta necem.

XVII.

In Gulosum Simulatorem.

NIl est putidius, nihil est insanius Euclo.
Se fingit ægra fronte mortuissimum.
Iliadem in lumbis, & fingit in ossibus Ossam;
Vigilique somno stertit, esurit satur.
Oblitus unguentis olet unus funera centum,
Suoque figas ostio illud: Sanitas.
Lautiùs hinc cœnat, villisque potitur amœnis;
Simulatur auceps & voluptatis dolor.

XVIII.

Ad P. Bartholomæum Beverinum in Lucensi Academia, argutum & lepidum in epigrammatis.

ARgutos Epigrammaton lepores
Cum totus relegam in diem, salesque;
Et lambam Latium mel, & Suàdam,
Concinnamque penum elegantiarum;
Ni Lucæ pius Augur eruditæ
Aris, & Superûm choro vacares,
Te Pindi Pugilem vocare possem,
Et Vatem, Beverine, Martialem.

XIX.

De Punctis Inflatis.

ADdideris puncto si punctum, Extensio crescet.
At negat hoc Socijs alta Stagira Sophis.

Per-

Perneget, irrumpat multus, punctimque lacessat,
Nonne culex tumidum reddet Aristotelem?

XX.

De Pomis quæ gemella in fœtum cohærent.

PHœbus inest nemori. vegetam mirare pöesim,
Arboreis pendent Disticha poma comis.

XXI.

Vetula Panormi, sub ruina pensilis Horti perijt.

COnditur hic Pyrrhæ ætatem per mensa gemellam,
Supra Hecubam, rugis horrida, glabra genas.
In juvenem redijt, frondosis obruta fatis;
Aruerat vitæ, floruit in tumulo.

XXII.

De Pandaro ad Balnea quotannis transmigrante ob otij Arthritim.

FLammeus æstivas urit dum Julius horas,
Navigat ad viridem Pandarus Inarimem. Vulgo Gurgitello
Non tamen huc revocat vel Gurgitis aura calentis,
Acta vel in medicos mollis arena scrobes.
Prandia amat mullis piscosa, volatica turdis;
Et sudare putat tutius ad patinas.
Hippocrates coquus est: gelidoque rigentia Baccho
Vitra parant nervis balnea pota suis.
Quid tibi cum Thermis? valeas ut Pandare gratis,
Ganea fac ægræ frigeat una gulæ.

XXIII.

De Simeone Salo sanctissimè fatuo.

VIvitur Anticyris;nucibusque impune jocantur
Cum famulis Domini,cum puerisque senes.
Parturit innumeros ætas vel singula Faunos,
Quos tacitus Fatuæ coniugis urit amor.
Hic sua navifragis fidit patrimonia Cauris;
Chymicæ & hic fumo divite pauper hiat.
Ille per armisonos cessantia fata tumultus
Provocat, & picta in casside funus emit.
Si geniis tam blanda sedet dementia, lucro
Stultitiam pietas vertere mima docet.
Ludicra virtuti indulsit Floralia Salo:
Exigit hunc assem, desipere ut sapias.

† Fatuam Deam fingere Fauni conjugem

XXIV.

Omnia vanitas.

OMnia si quæras vitæ solatia, quid sint?
S, unum apponas,Myrtile,somnia sunt.

XXV.

Juditha caput Holoferni obtruncat.

UT vindex Holophernios amores
Ausu Juditha perderet decoro,
Excepit digitis comam annulatis,
Unoque Assyriam peremit ictu.
Si tantum valuit potens in hostem

Or-

Ornatu manus integrè pudico,
Quam cladem pariet malo Venuſtas
Pellex ingenio? unus eſt ab armis
Cuſtos fœmineis, metus pericli.
Blandi qui cavet aleam duelli,
Vivit: dat fuga Teſſeram triumphi.

XXVI.

Ad Fuſculum
Sauciis nervis maximus eſt dolor, minor reciſis. Ex Plin.

SI ferias, immane dolent ad vulnera nervi;
Mitior inflicta cuſpide pœna ſecat,
Non ſecus indomitos Fatorum ingentibus auſis
Sæpe malum torquet, Fuſcule, quod minus eſt.

XXVII.
S. Germanus Epiſc. Pariſienſis ſua Tunica filo morbos curabat.

DUm tunicæ filum Germanus munerat ægris,
Secta redorditi fila jubet Lacheſin.
Hæc modo ſi Galli vitalia ſtamina nerent,
Lilia quàm Regum nobiliora forent?

XXVIII.

Ad Catum de Temporis natura aſſiduè ſpeculantem.

QUid tempus ſtudio laborioſo
In partes, Cate, dividis minutas?
Cum nunquam ſibi conſtet, incitumque
Nil præſens habeat ſui; perinde eſt.

In-

Instans quod numeras; fuit, futurum.
Hoc unum juvat, ultimam morari
Horam; si redimam diem fugacem
Virtutum meritis. Stoæ, ac Lycèi
Vltrò argutiolas, levesque tricas
Jejunis Dialecticis relinquam.

XXIX.

Ad Tardulum otiosissimè actuosum.

TArdule morosis acuens hypocondria nugis,
Nulla páras Musis otia, nulla foro.
Stare gradu nescis, properasque retrogradus idem;
Vel cum solus amas stertere, turba domi est.
Euclidem jactas tamen, omnigenamque mathesin;
Et multus tecum est circinus in digitis.
Credimus ingenio, plus morbo credimus. in Te
Hic motum invenit, Tardule, perpetuum.

XXX.

In Branchum pessimum Cocum.

SEmesas epularum apinas, saniemque culinæ,
Quæ cynicam possent vix acuisse famem;
Ad cœnam ut redeant, Cereris galeata cucullo,
Turbinat immani Branchus avaritia.
Relliquias halecum, & olentes sæcula fungos;
Rancida thunnini suminis esta legit.
Et legit asparagos, sed acephala fila, resectos,
Et vacuis ruptum capparin exuviis.
Additur & qui passa acinus marcescit in uva;
Futilis oblitum quod tegit olla cicer.

Omnia

Omnia in orbiculum miſcentur farta farinæ,
Et tumet a tantis ſordibus artocreas.
Hæccine tu menſis obſonia, Branche, reponis,
Quæ libata oculis ſunt prope ventris onus?
Digne tuo pereas furno: bona verba, quid hiſcam?
Non modo Branchus alit, ſed facit & ſtomachum.

XXXI.

Ad extemporaneum Poëtam, & inſulſum.

Diceris inſomni velox epigrammata Phœbo,
Atque elegos una cudere nocte duos.
Rara venus venæ hæc: madidis Natura ſub ulmis
Vix tanta fungos fertilitate beat.

XXXII.

In Papilum ſæpiſſimè ſternuentem.

Sternuis aſſiduè, & crepero quatis àëra bombos
Sive oriens ſit Sol, Papile, ſive cadens.
Atque alium naſo naſum addis hiante ſinapi,
Udaque betonico fulmina caule cies.
Fruſtrà: nam cerebri licet ictibus oſtia pulſes,
Quæ mens auſcultet, Papile, nulla domi eſt.

XXXIII.

De Olo podagrico & libidinoſo.

Lac aſinæ bibit Olus acerba Cypride tortus,
Quò rabidæ bilem diluat hinc podagræ.
Nulla tamen ſtrictum minuit medicina dolorem:
Nam ſimile ut peragat, non agit in ſimile.

Gal-

XXXIV.

Calculosus sub lingua a Pareo Medico curatus.

HÆserat Hermippo sub lingua calculus ima,
 Vulsus & ingenio, docte Parèe, tuo est.
O utinam hæc medicis constent miracula cultis,
 Ne furàt in nostram Zoila sanna chelyn.
Vesicam querimur multis inolescere linguis;
 Mos quibus obliquo scommate saxa loqui.

XXXV.

De muscis in reticulo fœminarum.

Fœmineis obducta Venus muscaria velis
 Gaudet in incestas subsiliisse genas.
Sordescit non forma satis fucata veneno,
 Ipsæ inhiant muscæ, putris ubi pudor est.

XXXVI.

De Vappio ignavissimo.

Ineruditum Vappium
Ignaviæ quis arguat?
Vitam historicè ducit suam.
Cui vota Velleium sonant:
Lex unica, Svetonium:
Florumque in hortis esurit.
Tacitumque dormit abditum;
Uni vigilat Salustio.

Ad

XXXVII.

Ad Messanam urbem turbatam a factiosis, quibus nomen, Turdi, ut redeat ad Hispanos.

INter aves Turdus, lautæ dos prima popinæ,
Apposuit Siculæ non nisi cultra gulæ.
Heu ruis infelix Zancle;simul ureris, alges.
Defectis tandem viribus ægra peris.
Non Salicæ leges, non * Gallinaria Pinus,
Nulla tuis fumat cædua sylva focis.
Argentum latibus sorbes, arisque liquatum,
Nec medicam sentis Mercurialis opem.
Unum hoc antidotum superest,& jure paratum,
Fac recoquat Turdos Hesperis olla tuos.

* Locus in quo fures latebant, apud Iuvenal.

XXXVIII.

Parcendum est culpam suam fatentibus.

SUb mediam fas est vires incidere brumam:
Dum gemmant, ferro cædere, sævitia est.
Sic ubi se lacrymis redimunt, ne crimina plectas,
Effluit ex oculis desita culpa suis.

XXXIX.

Ad Lullum astrologicis curis involutum, in quibus plus periculi, quàm compendij.

MItte laboratas studia inter inania noctes,
Lulle, quid abrosis unguibus astra notas?
Quantum fata sinunt, tantum simul illa minantur;

Et

Et variant subitas insidiosa vices.
Quæque dies atra est, voluctri quicumque recursu
Sol oritur, vitæ, Lulle, Cometa tuæ est.

X L.

In funere D. Dianæ Caracciolæ, quam Lunæ comparavimus Eclypsim passæ.

Diana Caracciola domina Burgensiae

Anagramma.

Ah bona Luna, Accendi amica sidera rogi.

Atinæ Princeps filius ad Matrem.

Sidera amica rogi accendi pius, ah bona Luna;
Ardent mille tibi lumina, mille madent.

Aliud Anagramma.

Mater ad Filium.

Argentea Luna abij, occidi, dona aram.

X L I.

Occidi, & orbe abij modo Luna argentea, dona
Aram: restituent vota, precesque decus.

Clau-

XLII.

Claudus fulguris vi convaluit.

CRura dolens cunis distorta Charillus ab ipsis,
Præsentem a medico fulmine sensit opem.
Exiliit, rectisque potens incedere talis,
Obtulit innocuo mascula thura Jovi.
Res nova, nec nova res. Cælo si tangimur, omnes
Vel Clodii, sacrà discimus ire vià.

XLIII.

Argenteum Salinum furto sublatum.

QVi multiformi scalptile ausus argento
Rapere Salinum, non videtur insulsè
Fecisse; plus trium ille litterarum vir.

XLIV.

De Anemone, cui nomen Diabolus.

QVæ rubet ex nigro, viridique Anemona capillo,
Induit immani nomine Diabolum.
Ergo alius timor est: pictis latet Orcus in hortis;
Frondosamque timet Chloris amœna Stygem.
Si violas inter Cereris Natam abstulit Ennæ,
Ora gerens Pluto florida, quot rapiet?

XLV.

Tumulus Alberti Valdesthein Fridlandi Ducis.

Conditur hoc ſaxo Albertus, dum Saxonas urget;
Non tamen eſt albo in marmore pura fides.
Cæſaris Imperium molitus, Cæſaris arma,
Vertit in Auſtriacos Auſtria tela Duces.
Fulmen in authoris recidit caput. Aulicus Aulæ
Fidere, condiſcat fidere & Aula ſuis.

XLVI.

Famoſus Carnifex furcis addictus Neapoli.

Pendet ab infami tandem trabe furcifer Anthus,
Qui toties laqueo preſſerat ante Reos.
Ars odiis operoſa malis, atque improba lucro,
Jure in venalem ſævit artificem.
Curta, ais, hæc vindicta ſimul ſceleri, atque ſceleſto:
Suſpenſus tantùm cavit ab officio.

XLVII.

De Aldo inſolenter monomacho.

Mars Gladiatorum, quin Marte ferocior ipſo,
Alpha duelligeræ gymnadis, Aldus eques.
Præfidens manibuſque, lacertoſæque juventæ,
Prenſat inoffenſis ſingula bella minis.
En ciet Alcinoum multis ad prælia rugis,
Qui propè monoculo lumine cæcus erat.
Jus facit armorum, brevibus concurrere ſclopis
Emi-

Eminus, aut ſtricto cominus enſe velit.
Ille ferens ægrè ampullantia verba Laniſtæ,
Si modo ſtes pacto, congrediamur, ait.
Unum velle oculum, paribus certemus ut armis,
Alea ſic æquè luſca duobus erit.
Hæſit ad hæc, oculuſque ſibi, quem velleret Aldus,
Defuit: alterutrum dempſerat ante Furor.

XLVIII.

Coloſsèa Neronis effigies in tela, ſuccenſa fulmine conflagravit.

NUmquam tam ſimilis Nero creditus eſſe Neroni,
Quàm cùm depicti Cæſaris umbra fuit.
Alta colorati arduus ambijt ora Coloſſi;
Nempe ſuperficies, & ſine mente, hominis:
Icon ultrici tandem vi fulminis arſit.
O nimis immitem, tardi gradumque Jovem!
Debuerat Cælo vivens perijſſe Tonante.
Sic lueret cineres, ignea Roma, tuos.

XLIX.

De Eupolo moroſè prandente.

TAmquam ad concilium redactus, altas
Inter fercula cogitationes
Lentà ruminat Eupolus ſalivà.
Subſiſtit dubius; rigetque vultu
Paulùm vel renuente, vel ſupino:
Mox lances jugulat, voratque ad ipſam
Uſque internecionem; & exculentis
Nec parcit tunicis, & oſſa rodit.

Si forte in patina Annibal lateret,
Unus vincere maximus Gulonum
Hic posset Fabius morà; sed omnem
Censum absumeret,& domesticis rem.

L.


In funere Hyacinthi Cicalæ adolescentis, qui adulto vere ob sanguinis hemorrhogiam interijt.

APpulerat Zanclem Calabris Hyacinthus ab oris,
Viseret ut patruos, hospita tecta, lares;
Feralemque hyemem pluviis, gelidosque Aquilones
Passus, ab Aprili funera sole tulit.
Disce vices,tua res agitur,quicumqûe juventæ
Flore viges:ætas dum seritur,metitur.

L I.

Idem Argumentum.

ICtus Ulysseo quà vulnere concidit Aiax,
Induit in florem saucia busta cruor.
Fabula. funereà jacet hac Hyacinthus in urnà,
Quem tumidis mersit sanguinis unda genis.
Ne totus tamen intereat flos nominis, ipsum
Fama parentali carmine tristis hiat.



LII.

De eodem ad amicum Silvinum.

GEmmarum flos, florũ Hyacinthus gemma, ſub uno
 Nomine quàm fragiles texuit ille vices?
Poſthuma ne deſint decora, & ſolatia luctus,
 Lacryma numquam oculis areat hauſta tuis.
Non opus eſt terramque levem, Silvine, precari.
 Gemma ſibi tumulum, flos dabit inferias.

LIII.

De divite Heluone damnato ad Inferos.

EXtremum digitum, damnatæ vernula flammæ,
 Affuſis Epulo cur ſibi poſcit aquis?
Unde pudor precibus, tenuique modeſtia voto?
 Temperet an tantos gutta puſilla rogos?
Durat adhuc miſero mala mens. terrena ſitiret,
 Non unum peteret faucibus Oceanum.
Hoc ſcelerum ingenium eſt: cœleſtia ſi bona poſcat,
 Vix amat extremis lambere de digitis.

LIV.

Ad obiectum S. Agathæ velum Æthna friget incendium.

ÆThna tonat, pluvioque Erebum vis ignea fumo
 Evomit, horrendo circumululata chao.
Jam totum furit Enceladum: nat naufraga ponto
 Hinc Tethis, hinc ſtygio turbine merſa Ceres.

Amittitque diem Sol,præcipitique tumultu
    Oppida nil oculis sunt,nisi busta, cinis.
Sume animos,Catane;incolumem te Flammea reddent,
    Flammea virginea reticulata manu.
Nexuit hæc Agathe,Diti factura timorem;
    Sæpe Cyclopæas vincere sueta faces.
En trepidus vaga per divortia se fugat ignis;
    Atque suo immoriens uritur ipse rogo.
Signa præit vitæ, & quà se portatile velum
    Explicat, ardenti in funere ridet ager.
Felix Trinacria,o felix,cui munera Divæ,
    Quò velata magis, sunt & aperta magis.

L V.

In Galbulam disertè improbum.

DIgestis,Titulisque, & Codice fartus utroque,
    Corpus juris habet,Galbula, non animam.

L V I.

De Nævola pulchritudinem affectante in senio.

Cùm numeret plusquam sexagenarius annos,
    Rugosamque ferat Nævola canitiem;
Gaudet adhuc dici bellus,lepidaque phrenesi
    Unus & Anchisen vivit,& Ascanium.
Lotus odorata se Naiade tergit in horas:
    Dum madet os,visu lubricus ille quidem est.

De

LVII.

De Prisco plagiario Pictore.

PInxerat hinc immanem ululata in valle Gigantem
Priscus,& Isacii militis inde metum.
Et pastoritiæ victricia spicula fundæ,
Dejectum & saxo vindice frontis Athon.
Circum hilares Pæanas, Idumenidûmque choréas,
Nexaque Jessæo laurea serta Duci.
Ergo opere in tanto dum se circumspicit, omnes
Hæc ait artificum Icon habet una manus.
Ingenuè dictum credas;nam furta colorat.
Nil natum in tabulis, archetypumque suis.

LVIII.

In Cassum miserè divitem.

ANgitur infelix,& avaro sordet in auro
Cassus; alunt avidam fœnera,lucra famem.
Idem animo macer,idem fert pinguissimus arca,
Pauperis esuriem, divitis invidiam.

LIX.

Ad Pannicum ante prandium sternuentem.

PRansurus ter cies longo diu,Pannice,rictu
Sternuis.hæc mensæ nolula signa præit.
Cur caput exoneras potius, quam Pannice,ventrem?
An caput in ventrem desijt? est ratio.

L X.

Ad Justitiæ Libram.

QUæ tibi sunt lances Æqui Dea provida juris?
Cur levior gravis est, cur gravior levis est?
Aucta salit sursum nummis nam causa: deorsum
Si caret argenti pondere, causa ruit.

L X I.

S. Cataldus Præsul Tarentinus iniecta terra, quam effodiebat, in mortuum, suscitat.

LUcis ad usuram redeat quò vita sepultis,
Eruit extinctos imperiosa Fides.
Altior insiluit virtus divina Cataldo,
Busta iterùm jussit vivere, dum tumulat.

L X I I.

De eodem.

PRessit ut exanimem aggesta Cataldus arena,
Protinus est reduci reddita vis animæ.
Peccantem placuit tumulo sic plectere Casum,
Ut lueret præceps ipsa ruina nefas.
O ubi jam lateam, Mors, inquit, territa? Manes
Si citat ad vitam pulveris umbra meos?

De

LXIII.

De Batto in orandis causis furacissimi ingenij.

EDicta, Legem Cinciam, forum vendit,
Seque ipse;& unctis Battus incubat causis:
Oditque raucas litigantium chartas,
Nisi involutæ missili crepent auro.
Naves clientum partium impetu quassas,
Securiores ut ferantur in portum,
Funditus ad imam exonerat usque sentinam.
Nec pedibus in sententiam ire se jurat;
Rem agit suorum manibus, aut suis omnem.

LXIV.

Sub Circumciso Jesu militantibus patiundum est.

VT potiar, patiar, pretium est a vulnere nam quis
Stigmatico renuat saucius esse Deo?

LXV.

De Mutio Scævola.

MUtius in jugulum sortitus vulnera Regis,
Irrita mox doluit tela, satelles erat.
Deceptamque manum foculo devovit Hetrusco,
Plecteret ut crimen lucida pœna suum.
Ira tamen, licet errantem, non perdidit ictum;
Saucius hoc animi Porsena, plus perijt.
Consulere æternos ignes jam desine. Regnis
Roma tuis una hæc sospita flamma sat est.

LXVI.

Ad Lycidam, animal gloriæ.

NE mihi te jactes Lycida, quod viceris omnem
Invidiam; hoc miseris accidit, & fatuis.

LXVII.


Ad B. Virginem a Rosario.

DIva fave votis, venient in vota Coronæ,
Annuis ad nostras si bona Diva preces.
Exitium pomi flos diluat: edita pomo
Mors vetito est; sacris insita vita Rosis.

LXVIII.

S. Catharina V. & M. ab Angelis post mortem in Sinai montem elata.

FUnus, Alexandrêa, tuum par ire triumpho,
Astiùs infractis vidimus ire rotis.
Baiula te Superùm famulis Gens extulit alis,
Quà summi intonuit Numinis umbra Sinam.
Niliacis si jura Sophis divina tulisti,
Quin nisi Legifero conderet urna jugo?



LXIX.

Ad Nellum artis metricæ studiosum.

COrripere in numeris, producere verba docemur,
Usus ad hoc vatum, Nelle, laborque juvat:
Longa sit, anne brevis penultima syllaba vitæ,
Nulla unquam docuit Metrica, nulla docet.

LXX.

De Fure suspenso ob syngrapham pecuniariam dolo sublatam.

NUmmariæ dum furta syngraphæ gaudet,
Celerique scriptos exigit gradu flavos,
Pecunioso captus in dolo, longam
Sese tigillo litteram Lycus fecit.

LXXI.

S Petrus Martyr cruento pollice moriens inscripsit in saxo, Credo.

PLaude tuo, Verona, Duci, tibi Romula debet
Alterum inocciduo nomine Fama Petrum.
Cui vox prima Fidem sonuit, vox ultima sanxit;
Inque sua gessit vulnera, vota, manu.
Nicomachus lapidi inscripsit pœana cruento,
Unde vel in saxis Hæresis erubuit.
Nempe parem quisnam titulum fecisse triumpho
Posset, ni digitis sculperet ipse suis?

LXXII.

Mortualis Calva e paleis in Tabaci theca.

COnſita funeream bene fixit ariſtula Calvam:
Si fœni flos eſt vivere, mors palea eſt.

LXXIII.

Ad Celſum.

MUtua promittis facili lautiſſime vultu,
Mexica dum mecum pocula, Celſe, bibis.
Inque diem expectas Indo de littore glandes;
Saccara de Siculis, cinnama de Batavis;
Attulit optatas en Pinus Iberica fruges:
Jam poteris gratas reddere, Celſe, vices.
Diſſimulas? venient, inquis, meliora: habeo te:
Quæ potas, nec emis, tu meliora putas.

LXXIV.

S. Siſinnius Martyr ænea tubâ necatus.

SUpplicio præcone Siſinnion intulit aſtris
Buccina, quæ reſono perculit ære caput.
Nulli unquam Heroum majus poſt funera nomen,
Quàm cui mors famæ præbuit ipſa tubam.

LXXV.

S. Benedictus in Casino monte Apollinis simulacrum prosternit.

GLoria Nursiadum, Faunos, Lemuresque Casini
Deijce, Divino Numine verte jugum.
Sylvarumque inter vepreta sepultus Apollo,
Lugeat amissum, pulveris umbra, diem.
Auguror hinc, radio mox omnia Solis in uno
Sese oculis subdent regna fruenda tuis.

LXXVI.


In Concionatorem ex alieno disertum.

RHetoricis fartum patinis, & ad omnia pransum
Ingenium, linguæ plurimus, Odde, crepas.
At nunquam in Topicis habitas, pluteisque laboras.
Quod recitas, mappam credimus Hermogenis.

LXXVII.

De Sevino rapacissimo Scriba.

AD sanguinem usque emungit in foro lites,
Propola fraudum, nummulique derasor
Sevinus; & se vivere in diem clamat:
Hic mos latronum, de die in diem vivunt.



In

LXXVIII.

In Turpilianum.

LYnx Delatorum, pravi tum moris & oris,
Se lippum ſimulat Turpilianus, & eſt.
Elicit a ſocijs, referat quæ crimina Fiſco,
Proditor & teſtis Turpilianus, & eſt.
Idem, aliuſque novo Polyandrum ſaltat amictu,
Diſſimilis, ſimilis Turpilianus, & eſt.
Non tamen hæc obiecta pudet. tunc ardet in iram,
Cum ruptum appellas, Turpilianus, & eſt.

LXXIX.

In ſplendida librorum veſtibula.

ILlita tot ſciolis ornantur limina libris,
Bracteolis laudum tinnula, picta typis;
Deſerere ut poſſis vadimonia Lector; at intus,
Aut nihil, aut nihilo proxima verba latent.
Annonam tineis debent, atque horrea blattis,
Sympoſium debent muribus, atque lares.
Quid primis opus eſt hederam ſuſpendere chartis?
Pagina fert titulos, ſi ſapit ipſa, ſuos.

LXXX.

S. Quadratus Martyr infans a nubibus nutritus, capite minutus fontem elicuit.

SEmianimem Quadratum utriſque Parentibus orbũ,
Dum ſua deſerto in pulvere fata gemit,
Nu-

Nutrivere humili inter opaca volumina Cœlo
Fasciolis nubes, uberibusque suis.
Strenuus hinc didicit tantis altricibus Infans
Sacra diu in Stygios bella tonare Joves.
Nec timuit pœnis generosam impendere vitam;
Nempe erat astrigenis debita vita plagis.
Atque ubi fusus humum cruor imbuit, exilijt fons:
Quin daret irriguas nubis alumnus aquas?

LXXXI.

In furtiva Venere deprehensus Cottula I. C. interfectus est.

EGerat e rostris causas in lucra disertus,
Ambiguumque dolis Cottula vulturium.
Mox nidum insiliens alienæ coniugis, ipso in
Crimine fatalem sensit adesse diem.
Non claudo Nemesis properat pede; iura piantur
Læsa fori, pretio; læsa thori, jugulo.

LXXXII.

Absalon suspensus e quercu.

PRæcipitem votis, Regique, Patrique rebellem
Jessiadem vindex extulit umbra reum.
Induit in laqueum ramos mors consona culpæ,
Insanas auri tonsilis ulta comas.
Ambierat patriam scelerato Marte Coronam,
Crinibus implicuit debita pœna caput.

LXXXIII.

Nobilium etiam in obitu luxuria.

ET lacrymas, risumque ciet quæ scena Dynastis
  Exequias fatuo seria more parat.
Aurea circumambit gelidum cortina cadaver,
  Dives opum, Phrygio vermiculata thoro.
Par nitor aulæis muros vernantibus ornat,
  Multus odorata e pyxide spirat Arabs.
Gaudia sic nuptis luduntur Hilaria tædis:
  Sic novus optata coniuge plaudit Hymen.
Nugalem efficiunt luctum, ne tetrica vultu
  Mors animis memorem fulminet ipsa metum.
Quam Procerum pompis metam sperare licebit,
  Si luxus medio in funere vivit adhuc?

LXXXIV.

Chiromantiæ vanitas.

INspiceret cum forte manum Cheromanticus Aulo,
  Fers, ait, ærisoni plurima signa Ducis.
Ad palmas te bella vocant, & fortia facta;
  Vivida nam tumido linea Marte rubet.
Ergo sagis, galeisque inhiat; tuba dividit horas;
  Strenuus in digitis claudere fata suis.
Jamque ibat; podagræ visco cum tortus acuto,
  Funereos duxit, Cochlea lenta, dies.
Non ego iudicium vatis, non criminor artem;
  Ille manum, non dum viderat ille pedes.

LXXXV.

Ad Balthasarem Pisanum vatem & causarum Patronum disertissimum.

RAucisonas inter lites, Pisane, Clientum
   Visus Apollineo dicere jura foro.
Enthea quòd lepidum cieas ad carmina Pindum,
   Cætera par, unum hoc non Ciceronis habes.

Tullius ad poësim ineptus.

LXXXVI.

De Sue altili Collegiũ Neapolitanum noctu percurrente.

ADdictas Musis, & Mercurialibus ædes,
   Grundules noctu vidimus esse lares.
Proripiens Sus e latebris sese efferus, omnem
   Terruit excursu, dum silet hora, domum.
Macti animis, socij: Studijs florentibus omen
   Auguror hoc. vestrum quisque Suarius est.

LXXXVII.

Idem Argumentum.

GEns ubi Palladijs incumbit sedula curis,
   Exciit immanes sus, acuitque metus,
Ceu foret aut Lemurum species, aut Setiger Orcus,
   Aut simulans rabidum Dæmon imiles aprum.
Bis denos suibus dat ganea lauta sapores:
   Adde alium; doctis imposuisse viris.

De

LXXXVIII.

De eodem.

SAcra ubi Partheniam posuit sapientia sedem,
Et dociles Musis pandit amica scholas;
Diu pastus siliquis, tacitam sus transfuga noctem
Assiluit, somni dum monet umbra vices.
O brutum in primis animal! sus anne Minervam?
Pinguis hebet; siccis mens sapit ingenijs.

LXXXIX.

D. Silvestro Fusco Sacro Oratori in SS. Panegyricis eloquentissimo.

DEnsa inter nemorum, formidatosque recessus
Nescio quæ taciti numinis umbra latet.
Garrijt antiquæ sic olim fabula Stoæ.
Silvestri decus hoc nomine Fusce tegis.
Eloquio divina sapis; cui plurima fandi
Gratia de supero non nisi fonte fluit.
Indigetes Cæli Cives quò Fama coronet
Nititur e Silva carpere serta tua.

XC.

Ad Burrum ærumnis obnoxium.

ADversam vacuis Fortunam ulciscere votis,
Vt minus hanc timeas Burre, minus cupias.

Ale-

XCI.

Alexandri Magni cunæ lacte manarunt, mors vino properata.

LAc tepidum e cunis rorasse recentibus olim
Finxit Alexandro garrula Fama suo.
Victricem ut Magni fortunam, & ad ardua natam
Prodigijs aleret sedula gloriolam.
At Fati illecebris nunquam bene fiditur; & quæ
Liba parant gustu præcoce, virus habent.
Pocula nascenti dederant cui lactea cunæ,
Herculeo mortem vina dedere scypho.

XCII.

Sancta Rosa, Peruana Virgo, clavis caput excruciat sub florum corolla.

MAtris ad imperium Rosa quamquã invita iubetur
Florida Parthenijs nectere serta comis.
Supplicio luxum plus fallere cæpit amœno;
Et sua crinalem ad vulnera strinxit acum.
Centum ex ære truces, & acuta cuspide clavos
Implicat, in pœnas ingeniosa suas.
Hoc pietas, hoc sancta Fides jurata pudori,
Telifer hoc passi Numinis egit Amor.
Roma, tuas olim trabeas, fastumque Quiritum,
Purpura tot clavis anteit una Rosæ.

XCIII.

De Nappo Atomista.

CRedite, Philosophum fecere trihoria Nappum,
Qui neque Grammaticæ noverat alpha scholæ.
Leucippique vomens corpuscula, Democritique
Materiam primam purgat Aristotelis.
Tanta atomisne latet virtus, ars tanta docendi,
Ut nulla valeant erudiisse mora?
Sic est: fortuito coëunt, ceu pulvis, acervo,
Et miscent subitis casibus ingenium.

XCIV.

S. Athenagoras M. in catasta ignis Hymnographus.

URitur, Uraniemque pijs ciet entheus ausis,
Metra canens Solymi Regis Athenagoras.
Lætus olorinas Phœnix ad carmina flammas
Erudit, ad melicos ignea Fata modos.
Indica stramineum sileas jam Fama Calanum,
Cui pyra non potuit reddere muta lyram.
Tantum audet Romana Fides: sibi namque triumphum
Musica degeneri præcinit una rogo.

XCV.

S. Saturninus indicto Idolorum statuis silentio, obmutescere iussit oracula.

SAturnine, Jovem nequicquam rauca tonantem
Fulmina, vel nutu conticuisse iubes.
Har-

Harpen Mercurius, cytharamque amisit Apollo;
Visa Medusæo Pallas ab angue premi,
Defuit os tibi Jane biceps, tibi buccina Mavors;
Herculis obstupuit vis, Bromijque furor.
Sculptæ Pythagoram larvæ didicere silentem,
Nam Figulus Samios fecerat ante Deos.

XCVI.

Ad Murcum Ciceroniano stylo obtrectantem.

NE Latij Suadam, ne mella forensia Tullj,
Murce, Lycambæo tingere felle velis.
Iudicium ni vertis, ὄνος tibi repet in aurem;
Quisquis in hoc Asiam carpit, Asinius est. Asinius Pollio inimicus Cicer.

XCVII.

Ad Rusticum oculis laborantem.

FAllimur; imponunt oculis obiecta supinis.
Quæ plus lucis habent, plus quoque noctis habēt.
Flammatum Xiphias Oriona promicat umbris,
Hæret in absciffo dum putris ense liquor.
Penula vipeream ex viridi tegit aurea pestem:
Fulgurat illustri Lampyris ala luto.
Straminaque, paleæque, olidoque mapalia limo,
Uda per ambiguas hiscere visa faces.
Ipsa etiam mimo excurrunt quæ phasmata Cœlo
Ludicra, sunt fatui luminis exuviæ.
Ergo hebeti tantum doleas ne Rustice visu?
Si minus aspicies, decipiere minus.

XCVIII.

De Gentilitia Moro Didaci Morales J. C.

TÆdia post hyemis, rigidæque pericula brumæ
 Florida dat cupidis gaudia Morus agris.
At quæ sera comas aperit, secura pruinæ,
 Ante alias fœtu præcoce poma parit.
Judicii genesim Natura sub arbore pinxit:
 Quàm bene consultum, tàm bene prodit opus.

XCIX.

Ad Gorgum immani strepitu excreantem.


EXcreat, an bombos Gorgus molitur ahenos,
 Cum ciet explosis arida sputa labris?
Centũ hyemes sine tusse, graves centum egerit Austros;
 Et prope in angustis faucibus Orcus inest.
Viscera mucoso timet intabescere visco;
 Ni trahat ex imo gutturis epiphoram.
Lentius infossam Peruæ glebam eruit Indus:
 Surdiùs arboreum grando lacessit Athon.
Non tantus pavidam latè tremor excutit Ætnam,
 Dum iussa assiduus sudat in æra Cyclops.
Non ita vi deturbat in Æthiopas Catadupos
 Turbineo præceps impete Nilus aquas.
Fulmina quid quereris pluvio strepere horrida Cœlo?
 Argue ne nubes; una saliva tonat.

C.

In Vestibulo Regiæ Domus amplissimæ.

VIx. Magnos capit hæc domus, & par eminet Urbi;
Par etiam Cælo, sed minor est tumulo.





EPIGRAMMATON

LIBER IV.

I.

Ab impuris libris maximum honestis fœminis damnum.

SEdula Amadisios relegit Claudina libellos,
Cum peteret primas castior illa nives.
Jamjam mollicebit Venerem mollissima curis;
Ingenio tam jam, credite, Lais erit.
Effluet in chartas sensim pudor omnis amantes;
Et patrias discet ludere vafra minas.
Quamquam oculis adimi fera claudat & auribus omnē,
Vernula quæ loquitur pagina, lena domi est.

II.

De Nauclippo Pindarum carpente.

BAcchi verna, lanista poculorum,
Quadrans, gutturnis, cadisque natus,
Nauclippus sitit, & bibit sub uno
Haustu multiplices meri diotas.

Idem

Idem thyrſigero facetus æſtro,
Graiæ Pindaron uberem Suàdæ
Inſulſum vocat,& malum Pòetam.
Cauſam quæris? A quam optimam canebat.

III.

De læſa Critonis Phantaſia.

DEpoſitus flet mente Criton,ſpiſſatque querelas,
Credulus infauſtum nomen ineſſe ſibi.
Non hilarem faciunt medicatæ in pocula gemmæ;
Otia non lepidis liberiora iocis.
Spectra oculis ubicumque bibit,cœloque ſereno
Atros una facit nominis umbra dies.
In gemitum,in ſuſpiria, in attonitos ſingultus
Totus abit,refuga ſi ſonet aure Criton.
Contra lætitiam omnem haurit, fatuoſque cachinnos,
Quo tu cumque voces nomine,non proprio.
Unius hunc fatuum ne morbum dixeris: ævi
Eſt noſtri vitium,deſipere in Titulis.

IV.

In Bibulum logomimũ ad dicẽdum publicè ineptiſſimum.

QUem,quem dicentem audierit,feliciter audax,
Ore,manu Bibulus Rhetora multus agit.
Omnium habet voces,vultum, lacrymaſque modoſque
Senſiculos,gnomas; Neſtoreoſque ſales.
Pulpita ſi ſubeat, bipedum inſulſiſſimus hæret:
Occiput,elato ſincipue ungue fricat.
Nil meminit,ſilet,erigitur, ſedet, æſtuat anceps.
Mentaque detergit ſtoica linteolo.

Exuit ingenium,cum se induit, alter & idem;
Optimus ectypus est,pessimus archetypus.

V.

Ad Pannicum Chymicæ studiosum.

QUò te,Pannice,quò rapit
Incertæ alea Chymicæ?
Carbonarius heluo,
Fæcem & sulphura digeris,
Fletumque ipse bibis tuum.
Frustra Hydrágyron excoquis
Curtæ ludibrium spei.
Insanus volat hic liquor
Gutta lubricus alite.
Ollas deserit,& focos
Sudantesque lucernulas.
Quid nugas Paracelsias
Inflas improbe follibus?
Fumo divite pauperem
Reddet Philosophus Lapis.

V I.

S. Rosæ Pervanæ ad Hortum accedenti sese acclinant arbores.

O Peruæ portenta Rosæ! cui prodiga Cæli
Gratia sidereis risit amœna iocis.
Dum colit hortensem latebram,angustamque tugurij,
Nulla sibi,Mundique exul,& una Deo;
Illam omnes Dryades ramis plaudentibus,omnes
Mirantur,viridi subsiliuntque choro.

Silva

Silva ſolo acclinata (piæ mens addita ſilvæ)
Accinit argutis obſequioſa modis.
Maius in hoc decus eſt, quàm fabula luſit in Orpheo:
Muta loqui didicit arboris umbra Roſam.

VII.

De eadem Culices ad divinas laudes excitante.

Divinis afflatam auris, & dulce latentem
Impetit ah culicum turba ſuſurra Roſam.
Exacuitque ſono dentes, atque otia curis
Nulla finit, pugili ſibila diſſidio.
Fruſtula vix vitæ, tenuique puſillula roſtro,
Sanguinis extimulant irrequieta ſitim.
Æſtivos parit hos Lemures pugnacibus alis
Quæ madet ignavo ſordida gleba ſitu.
At cicures ceſſere Roſæ; docilique volatu
Non audent teneræ figere tela cuti.
Quin certant audire ſacras, & reddere voces:
Et ſimul in Roſeas aſſonuiſſe preces.
Quæ Fidei non, Diva, tuæ miracula plaudent,
Si culices etiam juſſeris eſſe pios?

VIII.

Ad Lesbum Luculli cœnas laudantem.

Dipnologum te, Lesbe, facit famoſa Lucullum
Ganea, Apollineos inter opima lares.
Unica non Procerum laus hæc: in Apolline cœnat,
Ad Solem quoties cruſtula pauper edit.

Amens

IX.

Amens ob lapsum menti redditus, quam qui bellissimè valuit.

CIspius insana dudum torquente phrenesi,
Ex alto præceps culmine convaluit.
Quis dubitet Iovis e cerebro iam Pallada natam,
Maniacus fracto si sapuit capite?

X.

In Antiphum circumforaneum.

TEcum habita, exilium curis dicture molestis,
Antiphe: mitte τόπον vertere, verte τρόπον.

XI.

De Dario in Regem inaugurato ob equi hinnitum.

HInniit ad Solem sonipes, faustumque Dario
Omen, Achæmenium fecit ad imperium.
Cui fortuna parat Fasces & inertia regna,
Bruta implent meriti vota perinde vicem.

XII.

Industria, & labore opus est ad Sapientiam.

NEmo sapit teneris instructus ab unguibus infans:
Quàm rudis ad cunas vagiit ipse Plato?
In nemus e parvo se semine parturit arbos;

Ros

Ros fuit in conchis Indica gemma suis.
Ingenium labor addit, & hac venale sub hasta est.
Doctaque solertes poscit arena viros.
Archytæ * Platagen molire, & deinde Columbam.
Quæ sudata venit gloria, magna venit.

* Crepitaculum terrendis pueris ab ipso inventum.

XIII.

In Arminium ex avaritia prodigum.

Æstuat idem opibus, frigetque miserrimus idem
Arminius, sano dum vacat esse sibi.
Prædiaque & villas, & apricas empturit arces:
Emptis non fruitur, cochlea fixa domi,
Argentoque abacos onerat, cęnaturit herbas;
Et bibit ex ipso plumbea vina cado.
Arca laboratam vix synthesin excipit auro,
Undecies sartam ventilat ipse togam.
Quid numerem census, quid fęnera? paupere vultu
Mœret obærato putidior Cynico.
Incidat in febrim, gemmâ bibit, incubat ostro:
Delectant oculos quæ pretiosa suos.
Dona parat lautè, sextertia spondet amicis:
Prodigit in famulos, prodigit in Medicos.
O larvæ cerebrum quin vivere desinis? æger
Si tantum sapis, a funere plus sapies.

XIV.

Ad umbram Bethlemica Spelunca.

Illecebris radiorum, & amœno discolor astro,
Hospita Bethlæam quæ tegis Umbra specum,
Di-

Divinis vigilem cunis da sistere noctem.
Nil moror Auroram, si mihi Sol Amor est.

X V.

In Pontilianum Curionem Calvinistam, qui Missionari Jesuitæ sepulturam contendit.

Quid rabido allatras Jesitæ funus hiatu,
Nec tumulum pateris Pontiliane brevem?
Hoc Natura docet, dare pacem, & Manibus urnam;
Invida an in cineres hæresis ardet adhuc?
Non, inquis, dolor est, unum mandare sepulchro:
Quod simul hos omnes non tumulem, doleo.

X V I.

De S. Maria Magdalena silvarum indigena.

Massilijs nemorum se Magdalis abdidit umbris;
Exemplo traheret forsan ut ipsa Lupas.

X V I I.

De S. Mauro super aquas ambulante.

Vicerit obsessi trepidas ad Tybridis undas
Belligeros uno Coelite Roma metus:
Majorem retulit Mauro vincente triumphum;
Visa super tumidum tutior ire lacum.
Hostibus alter, aquis alter mora: confer utrumque,
Hic laudem meruit Numinis, ille Ducis.

De

XVIII.

De Eodem.

CUm Placidus luctante anima per iniqua lacunæ
  Undivagam biberet naufragus ore necem;
Et quæ præruptà brevis amphora fluxerat ansà,
  Iam prope demersi funeris urna foret;
Maurus in immanem se ferre voraginem aquarum
  Ausus, & exanimem subripuisse vado.
Parce palus, oneri tanto non apta vehendo:
  Ille Peloræo debita præda mari est.
Imbuet & minio piratica tela beato,
  Ne latret in Latiam barbara Scylla Fidem.

XIX.

Ad D. Vrsulam.

URsula millenos quod duxerit una triumphos
  Ambigis? inverso nomine, Laurus erat:
Hunnorum per tela mori, quàm nubere Regnis
  Maluit, augustos spernere cauta procos.
Occidit Arctoæ niveum decus addita bigæ,
  Excubet ut Latio fidior Vrsa Polo.

XX.

De Epistola B. V. ad Messanenses scripta, a Magistro Spada Dominicano polemicè laudata.

QVam veteres Fasti, quam postera tradidit ætas,
  Littera Virginei pignus amoris habet.

Quo

LXXXVIII.

De eodem.

SAcra ubi Partheniam posuit sapientia sedem,
Et dociles Musis pandit amica scholas;
Diu pastus siliquis, tacitam sus transfuga noctem
Assiluit, somni dum monet umbra vices.
O brutum in primis animal! sus anne Minervam?
Pinguis hebet; siccis mens sapit ingenijs.

LXXXIX.

D. Silvestro Fusco Sacro Oratori in SS. Panegyricis eloquentissimo.

DEnsa inter nemorum, formidatosque recessus
Nescio quæ taciti numinis umbra latet.
Garrijt antiquæ sic olim fabula Stoæ.
Silvestri decus hoc nomine Fusce tegis.
Eloquio divina sapis; cui plurima fandi
Gratia de supero non nisi fonte fluit.
Indigetes Cæli Cives quò Fama coronet
Nititur e Silva carpere serta tua.

XC.

Ad Burrum ærumnis obnoxium.

ADversam vacuis Fortunam ulciscere votis,
Vt minus hanc timeas Burre, minus cupias.

Ale-

XCI.

Alexandri Magni cunæ lacte manarunt, mors vino properata.

LAc tepidum e cunis rorasse recentibus olim
Finxit Alexandro garrula Fama suo.
Victricem ut Magni fortunam, & ad ardua natam
Prodigijs aleret sedula gloriolam.
At Fati illecebris nunquam bene fiditur; & quæ
Liba parant gustu præcoce, virus habent.
Pocula nascenti dederant cui lactea cunæ,
Herculeo mortem vina dedere scypho.

XCII.

Sancta Rosa, Pervana Virgo, clavis caput excruciat sub florum corolla.

MAtris ad imperium Rosa quamquã invita iubetur
Florida Parthenijs nectere serta comis.
Supplicio luxum plus fallere cæpit amœno;
Et sua crinalem ad vulnera strinxit acum.
Centum ex ære truces, & acuta cuspide clavos
Implicat, in pœnas ingeniosa suas.
Hoc pietas, hoc sancta Fides jurata pudori,
Telifer hoc passi Numinis egit Amor.
Roma, tuas olim trabeas, fastumque Quiritum,
Purpura tot clavis anteit una Rosæ.

XCIII.

De Nappo Atomista.

CRedite, Philosophum fecere trihoria Nappum,
Qui neque Grammaticæ noverat alpha scholæ.
Leucippique vomens corpuscula, Democritique
Materiam primam purgat Aristotelis.
Tanta atomisne latet virtus, ars tanta docendi,
Ut nulla valeant erudiisse mora?
Sic est: fortuito coëunt, ceu pulvis, acervo,
Et miscent subitis casibus ingenium.

XCIV.

S. Athenagoras M. in catasta ignis Hymnographus.

URitur, Uraniemque pijs ciet entheus ausis,
Metra canens Solymi Regis Athenagoras.
Lætus olorinas Phœnix ad carmina flammas
Erudit, ad melicos ignea Fata modos.
Indica stramineum sileas jam Fama Calanum,
Cui pyra non potuit reddere muta lyram.
Tantum audet Romana Fides: sibi namque triumphum
Musica degeneri præcinit una rogo.

XCV.

S. Saturninus indicto Idolorum statuis silentio, obmutescere iussit oracula.

SAturnine, Jovem nequicquam rauca tonantem
Fulmina, vel nutu conticuisse iubes.

Har-

Harpen Mercurius, cytharamque amisit Apollo;
Visa Medusæo Pallas ab angue premi,
Defuit os tibi Jane biceps, tibi buccina Mavors;
Herculis obstupuit vis, Bromijque furor.
Sculptæ Pythagoram larvæ didicere silentem,
Nam Figulus Samios fecerat ante Deos.

XCVI.

Ad Murcum Ciceroniano stylo obtrectantem.

NE Latij Suadam, ne mella forensia Tullj,
Murce, Lycambæo tingere felle velis.
Iudicium ni vertis, ὄνος tibi repet in aurem;
Quisquis in hoc Asiam carpit, Asinius est. Asinius Pollio inimicus Cicer.

XCVII.

Ad Rusticum oculis laborantem.

FAllimur; imponunt oculis obiecta supinis.
Quæ plus lucis habent, plus quoque noctis habēt.
Flammatum Xiphias Oriona promicat umbris,
Hæret in abscisso dum putris ense liquor.
Penula vipeream ex viridi tegit aurea pestem:
Fulgurat illustri Lampyris ala luto.
Straminaque, paleæque, olidoque mapalia limo,
Uda per ambiguas hiscere visa faces.
Ipsa etiam mimo excurrunt quæ phasmata Cœlo
Ludicra, sunt fatui luminis exuviæ.
Ergo hebeti tantum doleas ne Rustice visu?
Si minus aspicies, decipiere minus.

XCVIII.

De Gentilitia Moro Didaci Morales J. C.

Tædia post hyemis, rigidæque pericula brumæ
Florida dat cupidis gaudia Morus agris.
At quæ sera comas aperit, secura pruinæ,
Ante alias fœtu præcoce poma parit.
Judicii genesim Natura sub arbore pinxit:
Quàm bene consultum, tàm bene prodit opus.

XCIX.

Ad Gorgum immani strepitu excreantem.


Excreat, an bombos Gorgus molitur ahenos,
Cum ciet explosis arida sputa labris?
Centū hyemes sine tusse, graves centum egerit Austros;
Et prope in angustis faucibus Orcus inest.
Viscera mucoso timet intabescere visco;
Ni trahat ex imo gutturis epiphoram.
Lentius infossam Pervæ glebam eruit Indus:
Surdiùs arboreum grando lacessit Athon.
Non tantus pavidam latè tremor excutit Ætnam,
Dum iussa assiduus sudat in æra Cyclops.
Non ita vi deturbat in Æthiopas Catadupos
Turbineo præceps impete Nilus aquas.
Fulmina quid quereris pluvio strepere horrida Cœlo?
Argue ne nubes; una saliva tonat.

C.

In Vestibulo Regiæ Domus amplissimæ.

VIx. Magnos capit hæc domus, & par eminet Urbi;
Par etiam Cælo, sed minor est tumulo.





EPIGRAMMATON

LIBER IV.

I.

Ab impuris libris maximum honestis fœminis damnum.

SEdula Amadisios relegit Claudina libellos,
Cum præeat primas castior illa nives.
Jam jam miscebit Venerem mollissima curis;
Ingenio iam iam, credite, Lais erit.
Effluet in chartas sensim pudor omnis amantes;
Et patruas discet ludere vafra minas.
Quamquam oculis aditū fera claudat & auribus omnē,
Vernula quæ loquitur pagina, lena domi est.

I I.

De Nothippo Pindarum carpente.

BAcchi verna, lanista poculorum,
Quadris, gutturiis, cadisque natus,
Nothippus sitit, & bibit sub uno
Haustu multiplices meri diotas.

Idem thyrſigero facetus æſtro,
Graiæ Pindaron uberem Suàdæ
Inſulſum vocat,& malum Pòëtam.
Cauſam quæris? Aquam optimam canebat.

I I I.

De læſa Critonis Phantaſia.

DEpoſitus flet mente Criton,ſpiſſatque querelas,
Credulus infauſtum nomen ineſſe ſibi.
Non hilarem faciunt medicatæ in pocula gemmæ;
Otia non lepidis liberiora iocis.
Spectra oculis ubicumque bibit,cœloque ſereno
Atros una facit nominis umbra dies.
In gemitum,in ſuſpiria, in attonitos ſingultus
Totus abit,refuga ſi ſonet aure Criton.
Contra lætitiam omnem haurit, ſaturoſque cachinnos,
Quo tu cumque voces nomine,non proprio.
Unius hunc fatuum ne morbum dixeris: ævi
Eſt noſtri vitium,deſipere in Titulis.

I V.

In Bibulum logomimũ ad dicẽdum publicè ineptiſſimum.

QUem,quem dicentem audierit,feliciter audax,
Ore,manu Bibulus Rhetora multus agit.
Omnium habet voces,vultum, lacrymaſque modoſque
Senſiculos,gnomas, Neſtoreoſque ſales.
Pulpita ſi ſubeat, bipedum inſulſiſſimus hæret:
Occiput,elato ſincipur ungue fricat.
Nil meminit,ſilet,erigitur, ſedet, æſtuat anceps.
Mentaque detergit ſtoica linteolo.

Exuit ingenium,cum se induit, alter & idem;
Optimus ectypus est,pessimus archetypus.

V.

Ad Pannicum Chymicæ studiosum.

QUò te,Pannice,quò rapit
Incertæ alea Chymicæ?
Carbonarius heluo,
Fæcem & sulphura digeris,
Fletumque ipse bibis tuum.
Frustra Hydragyron excoquis
Curtæ ludibrium spei.
Insanus volat hic liquor
Gutta lubricus alite.
Ollas deserit,& focos
Sudantesque lucernulas.
Quid nugas Paracelsias
Inflas improbe follibus?
Fumo divite pauperem
Reddet Philosophus Lapis.

V I.

S. Rosæ Pervanæ ad Hortum accedenti sese acclinant arbores.

O Peruæ portenta Rosæ! cui prodiga Cæli
Gratia sidereis risit amœna iocis.
Dum colit hortensem latebram,angustamque tagurij,
Nulla sibi,Mundique exul,& una Deo;
Illam omnes Dryades ramis plaudentibus,omnes
Mirantur,viridi subsiliuntque choro.

Silva solo acclinata (piæ mens addita silvæ)
Accinit argutis obsequiosa modis.
Maius in hoc decus est, quàm fabula lusit in Orpheo:
Muta loqui didicit arboris umbra Rosam.

VII.

De eadem Culices ad divinas laudes excitante.

DIvinis afflatam auris, & dulce latentem
Impetit ah culicum turba susurra Rosam.
Exacuitque sono dentes, atque otia curis
Nulla finit, pugili sibila dissidio.
Frustula vix vitæ, tenuique pusillula rostro,
Sanguinis extimulant irrequieta sitim.
Æstivos parit hos Lemures pugnacibus alis
Quæ madet ignavo sordida gleba situ.
At cicures cessere Rosæ; docilique volatu
Non audent teneræ figere tela cuti.
Quin certant audire sacras, & reddere voces:
Et simul in Roseas assonuisse preces.
Quæ Fidei non, Diva, tuæ miracula plaudent,
Si culices etiam jusseris esse pios?

VIII.

Ad Lesbum Luculli cœnas laudantem.

DYphnologum te, Lesbe, facit famosa Luculli
Ganea, Apollineos inter opima lares.
Unica non Procerum laus hæc: in Apolline cœnat,
Ad Solem quoties crustula pauper edit.

IX.

Amens ob lapsum menti redditus, quam qui bellißimè valuit.

CIſpius inſana dudum torquente phreneſi,
Ex alto præceps culmine convaluit.
Quis dubitet Iovis e cerebro iam Pallada natam,
Maniacus fractò ſi ſapuit capite?

X.

In Antiphum circumforaneum.

TEcum habita; exilium curis dicture moleſtis,
Antiphe: mitte τόπον vertere, verte τρόπον.

XI.

De Dario in Regem inaugarato ob equi hinnitum.

HInniit ad Solem ſonipes, fauſtumque Dario
Omen, Achæmenium fecit ad imperium.
Cui fortuna parat Faſces & inertia regna,
Bruta implent meriti vota perinde vicem.

XII.

Induſtria, & labore opus eſt ad Sapientiam.

NEmo ſapit teneris inſtructus ab unguibus infans:
Quàm rudis ad cunas vagiit ipſe Plato?
In nemus e parvo ſe ſemine parturit arbos;

Ros

Ros fuit in conchis Indica gemma suis.
Ingenium labor addit, & hac venale sub hasta est.
Doctaque solertes poscit arena viros.
Archytæ * Platagen molire, & deinde Columbam.
Quæ sudata venit gloria, magna venit.

* Crepitaculum terrendis pueris ab ipso inventum.

XIII.

In Arminium ex avaritia prodigum.

Æstuat idem opibus, frigetque misertimus idem
Arminius, sano dum vacat esse sibi.
Prædiaque & villas, & apricas empturit arces:
Emptis non fruitur, cochlea fixa domi,
Argentoque abacos onerat, cęnaturit herbas;
Et bibit ex ipso plumbea vina cado.
Arca laboratam vix synthesin excipit auro,
Undecies sartam ventilat ipse togam.
Quid numerem census, quid fęnera? paupere vultu
Mœret obæratò putidior Cynico.
Incidat in febrim, gemmà bibit, incubat ostro:
Delectant oculos quæ pretiosa suos.
Dona parat lautè, sextertia spondet amicis:
Prodigit in famulos, prodigit in Medicos.
O larvæ cerebrum quin vivere desinis? æger
Si tantum sapis, a funere plus sapies.

XIV.

Ad umbram Bethlemicæ Speluncæ.

Illecebris radiorum, & amœno discolor astro,
Hospita Bethlæam quæ tegis Umbra specum,
Di-

Divinis vigilem cunis da sistere noctem.
Nil moror Auroram, si mihi Sol Amor est.

X V.

In Pontilianum Curionem Calvinistam, qui Missionari o Jesuita sepulturam contendit.

Quid rabido allatras Jesitæ funus hiatu,
Nec tumulum pateris Pontiliane brevem?
Hoc Natura docet, dare pacem, & Manibus urnam;
Invida an in cineres hæresis ardet adhuc?
Non, inquis, dolor est, unum mandare sepulchro:
Quod simul hos omnes non tumulem, doleo.

X V I.

De S. Maria Magdalena silvarum indigena.

Massilijs nemorum se Magdalis abdidit umbris;
Exemplo traheret forsan ut ipsa Lupas.

X V I I.

De S. Mauro super aquas ambulante.

Vicerit obsessi trepidas ad Tybridis undas
Belligeros uno Coelite Roma metus:
Majorem retulit Mauro vincente triumphum;
Visa super tumidum tutior ire lacum.
Hostibus alter, aquis alter mora: confer utrumque,
Hic laudem meruit Numinis, ille Ducis.

De

XVIII.

De Eodem.

CUm Placidus luctante anima per iniqua lacunæ
Undivagam biberet naufragus ore necem;
Et quæ prærupta brevis amphora fluxerat ansâ,
Iam prope demersi funeris urna foret;
Maurus in immanem se ferre voraginem aquarum
Ausus, & exanimem subripuisse vado.
Parce palus, oneri tanto non apta vehendo:
Ille Peloræo debita præda mari est.
Imbuet & minio piratica tela beato,
Ne latret in Latiam barbara Scylla Fidem.

XIX.

Ad D. Vrsulam.

URsula millenos quod duxerit una triumphos
Ambigis? inverso nomine, Laurus erat:
Hunnorum per tela mori, quàm nubere Regnis
Maluit, augustos spernere cauta procos.
Occidit Arctoæ niveum decus addita bigæ,
Excubet ut Latio fidior Vrsa Polo.

XX.

De Epistola B. V. ad Messanenses scripta, a Magistro Spada Dominicano polemicè laudata.

QVam veteres Fasti, quam postera tradidit ætas,
Littera Virginei pignus amoris habet.

Quo

Quo minus id dubites Zancleis invidus Aris,
En potuit nodos solvere Spada tuos.

XXI.

Idem.

SVb gladio pinxisse ferunt & morte propinqua
Protogenem audaci sæcula prisca manu.
Addebat tabulis lepidam metus arbiter umbram;
Et pictæ merces Iconis Ensis erat.
Spada tuis tandem Jesseia Diva Tabellis
Indidit arguto lumina quanta stylo?

XXII.

Sub Effigie D. Bernardi Crucem amplexi.

QVantum felliis habent divinæ insignia cædis,
Tantum Bernardi mellis ab ore fluit.

XXIII.

S. Thomas Aquinas lenocinantem Pellicem semiusto fugat ligno.

TVrris Aquiniadem dum subdola flammat Amorē,
Prætulit ultricem in prælia torris opem.
Quàm nova! quam fælix generosæ Tessera pugnæ!
Quæ Cypriam domuit Mænada, tæda fuit.

XXIV.

In effaminatè tonsos.

ALterutram barbam supraque infraque recisam;
Expilat hircosis ars quoque lauta viris.
Canitiem in fictam recoquit tonstrina juventam;
Et socer & Patruus quisque fit ore nepos.
Ridet ad hæc Lachesis ludibria,& acrius instat;
Ætates hominum nec facit illa pili.

XXV.

Idem.

Fœmineo vultuque Equites,habituque renident
Ambigui: væ,væ sæcula,si pariant.

XXVI.

In Tyberis inundatione.

MErgere dum tumidis conatur fluctibus Vrbem,
Submersus Tybris est fluctibus ipse suis.
Vndisono siquidem dudum quæsitus in alveo,
Inventus fluvius non fuit,æquor erat.

XXVII.

De Asino ab Apibus interfecto.

MEllea dum segnes ad tecta fricaturit artus,
Excijt hostiles bardus asellus apes.
Ili-

Ilicet erupere minacibus agmina telis,
  Visa cruentato ludere de corio.
Ille olim ad cursum prope Cyllarus, hæsit ad ictus;
  Mox alio, atque alio vulnere fusus humi est.
Qui rudit ætatem, qui tympana posthumus inflat,
  Iure susurrantes occidit inter apes.

XXVIII.

De Eodem.

DIsplosis Onager vexans alvearia rhonchis,
  Credidit insano sugere mella labro.
Acrius insultanti, & hiulca nare frementi,
  Intulerunt volucri cuspide funus apes.
Incultas discant pecuaria carpere lappas:
  Sollicitent brutam quid melimela gulam?

XXIX.

Idem.

PIgrior ad viridem nemorum cum sterteret umbrã,
  Sesquiasinus patulis auribus, ore minax,
Calcibus intextas sudato nectare cellas
  Impetit, in vigiles hiscere multus apes.
Aligeris periit rudis hæc insania telis;
  Sauciaque exanimis verbero terga tulit.
Aoniam potuit vix fundere Pegasus undam;
  Atque asinus pedibus fundere mella velit?

XXX.


In Pandarum otiosum, & Porticensis villa frequentem hospitem.

OTia cùm satures, studijs aversus acutis,
Philosophum simulas, Pandare, Porticum adis.

XXXI.

In Bellium Apostatam mastigen impurissimum SS. Patrum.

NIger e cucullo transfuga.
Claustrorum amurca, Bellius
Temulentus in Lemanicis
Bene lotus undis nupturit;
Jam *j*am parat crepundia,
Infantulis lactantibus.
Mammas at inter & tatas,
Obelos, & ungues, & rogum
Græcis, Latinis Patribus
Calvus minatur carnifex,
Sanctasque mutilat paginas;
*S*ecat, exoculat, exenterat,
Unde, unde tantum odium in Patres?
Pudet fateri: a fili*j*s.



XXXII.

Ad Baldinum laudantem Vesuvianas ad pocula lacrymas.

QUæ tibi Pierios ad carmina Lacryma risus
Elicuit, liquidæ munus amicitiæ;
Heliadum hanc præfers lacrymis, Baldine; bibenti
An quia dat Soles cernere posse duos?

XXXIII.

Ad Domitianum in subterranea crypta latitantem.

INcrustas vitreo suffossa peristyla saxo
Cæsar, & in vigili fornice regna locas.
Hostis ut a tergo si quid tibi subdolus ausit,
Adversis paries prodat imaginibus.
Videris ut faciem, videas quì corda tuorum?
Proxima quæ tinges sanguine, tela latent.

XXXIV.

In Luxum Muliebrem.

AUroræ coit ad primos quæ candida rores
Gemma, iterum in rores liquitur acta novos,
Thais ut hinc possit niveo impallescere vultu,
Langueat & nitido lubricus orbe decor.
Turpe nefas, Cleopatræo mage turpius haustu.
Inquinat heu! Cæli lacryma luxuriem.

Ne-

XXXV.

Neroni bibenti excidit crater ob fulminis impetum.

CUm biberet Nero gemmanti cratera Falerno,
E trepida rapuit fulminis ala manu.
Non fuit hæc bruti mens fulminis: abstulit iræ,
Ne rabidam faceret sanguinis ista sitim.
An Semele Bacchum tonitru jam nixa marito,
Attonuit Matris fulmine carnificem?

XXXVI.

Nobilis quidam ut ad ludicrum certamen nummos corraderet, vendidit ius sepulturæ.

PErsonam ludis acturus equestribus aptam,
Nec satis ad sumptus res sibi curta domi;
Vendidit Anthropompus aviti iura sepulchri,
Invidus in cinerem scilicet esse suum.
Macte Heros; ubi fata vocent, nullo abdita cippo,
Ipsa dabit Manes Mors equitare tuos.

XXXVII.

In Lycam. Heteroclitum.

LUbricus irasci, violentus, ad omnia præceps
Improbat hoc, probat hoc; nusquã, & ubiq; Lycas.
Totus ad arbitrium sine lege, sine ordine, nullam
Vel minimam patitur post sua jussa moram.
Cessantes famulos ad verbera signat, eodem
Ni redeant & eant temporis articulo.

Dimidias voces celer expuit, & vorat idem;
Excæcatque brevi plurima verba sono.
At testudineus, mensæque pigerrimus hospes,
Penè Cato est inter pocula, non properat.
Dixeris insano mentem debere palato.
Heluo si tantùm manderet, Herma foret.

XXXVIII.


Excusat se Auctor quod in lucem non dum dederit Sacras Conciones.

Quod nihil ediderim, tacitoquè inglorius æstro,
Ipse mihi, & musis carmina surda canam;
Desidiæ vertis, cessantemque Æmile carpis.
Ne meritis fraudem publica vota typis.
Bracteolas famæ mihi pollice plectis utroque;
Et volucrem fingis docta per ora virùm.
Ut volo non possum, ut possum nolo: addere gibbum,
Aut tunicam piperi, futilis ambitio est.

XXXIX.

De Portu Messanensi.

Gallica Zanclæum timeant sibi Lilia Portum:
Falcifer ad florum funera curvat aquas.



X L.

Salivarum ductus in humano corpore a Thoma Warthono reperti.

WArthoni laus eſt, fateor, non parva, ſagaci
Arte ſalivales elicuiſſe vias.
Nil tamen ad mores hæc Jatrice; & unde ſalivæ
Ingenijs, ſemper neſciet Anatome.

X L I.

De Lampro ferarum manſuetario, qui ab araneo morſus interijt.

HErcyniæ qui monſtra, Urſos, ſævoſque Biſontes
Ad Domini potuit ſuppoſuiſſe pedes;
Horrentem & maculis domuit cum Tigride Pardum,
Quæque creant Libyæ funera, quæque minas;
Lamprus arachnæo ſuſpenſa pericula filo
Nil metuens, periit morſus araneolo.
Exigit haud magno mors turgida colla veneno;
Sæpius exigua in cuſpide Fata latent.

X L I I.

Theodoſius Imperator veniæ proximus cum iraſceretur.

SE ſe Theudoſius certantibus extulit armis,
Vt minimus faſtu, maximus Imperio.
Vltra omnem tamen hoc laudem, quòd vindicis iræ
Mitior erudiit vim, ſapuitque furens.

XLIII.

Somnians se Capitonem sibi Principatum auguratur. Artemid. lib. 1. c. 18.

SOpitus qui grande caput sibi gliscere spectat,
Nobile Fortunæ principis omen habet.
Vt nunc sunt ævi mores, hæc ludicra possunt
Addere vim dictis Artemidore tuis.
Sæpe magistratumque capit, rerumque potitur,
Cui faciunt magnum somnia sola caput.

XLIV.

In Lævinum affectatè gravem, & vino deditum.

INstar habes magni in speciem Lævine Catonis.
Grata foris tibi nam * Seria, grata domi.

* Vas vinarium.

XLV.

Ad Thessalum De fortuita Atomorum concursione.

COngeries Atomorum, olim delira voluptas
Democriti, in sciolos cusa, recusa typos;
E tenebris iterum emersit cariosa sepultis,
Phœnix, anne scholæ noctua monoculæ?
Hæc rerum matrix, Casu fœcunda marito
Parturit insectis omnia particulis.
Innatum est atomis motu vibrare perenni,
Caucaseis etiamsi coiere jugis.
Et solidas in aquis innare, frementibus Austris

Ipsam-

Ipsamque in Niobem vertere Nereidem.
Fortuito sese immiscent per inania ductu,
Fibula contiguis nectit amicitijs,
Mox ubi multiplici refugas trahit uncinus ictu,
Et piceo sociat glutine viscus iners;
Naturæ genesim renovant. dos una figurę est
Sidera seu niteant, tubera seu tumeant.
Anguineis repant fluidè si flexibus, implent
Eridanos, Ganges, Oceanumque patrem.
Horrentesque pilis dant capripedes Silenos:
Nec speciem tamen in se, variantve genus.
Gibbosæ in cochleas abeunt, & in ova rotundæ.
Conficitur longis pertica, mensa quadris.
Conflatum his ne apinis credes existere mundum?
Crede libens mundum, Thessale, Chartesium.

LXVI.

De Cicadis.

PRodigium apprimè mirum: vox alta Cicadæ
Sole calet, si mas; fœmina muta silet.

XLVII.

In Apotheosi S. Francisci Borgiæ a Clemente X. in sacris fastis recensiti.

Mater D. Francisci Assisiatis Zona præcincta, peperit.

BOrgiolum obliquo genetrix ægerrima nixu
Assisia peperit cannabe vincta latus.
Ambijt his puerum virtus Ecliptica nodis,

Vt genesim fastu pauperiore daret.
Victuros Cælo, ad mortalis tædia vitæ
Scilicet invitos non nisi vincla trahunt.

XLVIII.

Accipitrariam venationem in magisterium virtutis vertit.

LVdit in aèrio dum subdola prælia circo
Accipiter, pavidas carpere multus aves;
Flexibus obliquat gyros, infraque, supraque
Vnca per aligeras turbinat arma minas.
Iam fugat has, rapit has, jam jam pendente sub ictu:
Quò nam oculos flectis Borgia? præda ruit.
O ubi non pœnarum auceps! sudata propinquæ
Cædis in articulo gaudia si jugulas?

XLIX.

Inter venandum, Divini Viatici campanulam, vel longissimè absens obaudit.

INvia per nemorum Dux Borgius erudit auceps
Accipitrum volucres ad sua bella dolos.
Interea vescum præeat si nolula Numen,
Dissita silvosis excipit æra locis.
Nec mora: pennigeræ oblitus momenta rapinæ,
Hæret adorato cernua prçda Deo.
Nobilis hæc Procerum solatia disce voluptas;
Ad pia non surdis quæ properent oculis.

L.

Cum officio deesse non posset, aulicis interfuit scenis alienato animo, ac cilicium indutus.

ANte lares adeat quam Borgia Principis Aulæ,
Non parat officiis byssina verba suis.
Horrentem setis loricam indutus acutis,
Nuda cruentata membra flagellat acu.
Idaliam eludes Pudor o secure pharetram.
Ne timeas Venerum Gorgonas, Ægin habes.

L I.

Non ad hoc sæculum Princeps censorio vultu.

BOrgiadæ vel muta oculis censura perorat;
Acrior e vultu Nestore Suada fluit.
Non phaleras amat, & pictæ mendacia linguæ;
In vitium tacito fulminat ore minax,
Irrita Prætorum clament edicta scelestis,
Ne facito: plus est dicere, non facio.

L I I.

Isabellam Augustam in pheretro contemplatus, ob deformationem tantæ maiestatis se totum Deo mancipare statuit.

SIdus Aragonidum, pulcherrima Reginarum,
Heu quantam invidiam mortis Elisa tulit!
Ipsa, nec ipsa, suæ vestigia perdidit umbræ.
Horridus in laruam desijt oris honor.

Bor-

Borgius occasum Dominæ miratus acerbum,
Aula, ait, ah quid adhuc ludimur? aula vale.
En novus Indigetum ex alieno pulvere Phœnix,
Cui vitæ auspicium cælitis, Vrna fuit.

LIII.


Abiecto Principatu, Societ. Jes. se vovet.

GAndia cæ Trabeæ, & Lombai insignia Regni,
Hactenus ad scenam lusimus, ite, sat est.
Me tandem adscribat Loiolis Tessera Cælo.
Nil fatui sannam pollicis, Aula, moror.
Hoc unum precor Ignati, tuus exigat Ignis,
Indidit Augustæ quæ mihi vota cinis.

LIV.

Publicè asserit, se Nihil esse.

NUnc demum linguis faveas tumor Aulice: iurat
Borgia per multas se Nihil esse theses.
Census, honor, titulique, & magni nominis umbra,
Purpura, Fortunæ, gloria, grande nihil.
Illecebræ Venerum, & mendax nil dulce voluptas:
Nil putre sunt vitæ gaudia post cineres.
Omnia de nihilo in nihilum casura residunt:
Qui studet hoc lucro vertere, nonne sapit?



L V.

Adulationes, & sugillationes Aulicorum contemnit.

Æ Re suo pauci censentur: Opinio famam
Ut libet, ad genium cudere mima solet.
Borgius aversis surdissimus auribus, Aulæ
Sistra, tubas, Momos risit, & Archilocos,
Omnia palponum risit mendacia. Magnus,
Qui sua virtuti nomina debet, hic est.

L V I.

Ex obeso corpore macerrimus ob ieiunia, sua ut se pelle lumbos adstringeret.

Corporis in maciem extenuat se pinguior olim
Borgius, in vacuam cogit & ossa cutem.
Lancinat hæc distenta, voluminibusque plicans se
Mille tegit vitæ vulnera, mille neces.
Militiæ fuerat, tensis si pellibus actem
Ferre hyemem; hoc etiam prætulit ipse Ducis.

L V I I.

Idem.

Æ Theraque, & terras Equitum gula turbat, & undas;
Navigat in nostras India lauta dapes.
Gandiacus mappas, cane peius, odit Apicj.
Mens fusa in longas, ganea tota, preces.
Hinc libare datum vel opertum Numen in arca,
Debuit hoc pasci nectare tanta fames.

La-

L.V I I I.

Lapillos calceis subijcit ad supplicium.

QUi tibi clam soleas acri passim asperat ictu,
Enumerat palmas calculus ille tuas.
Ima pedes quotquot lacerat strictura lapillis,
Tot ferit in meritum debita serta caput.
Non alijs opus est alis, ut ad æthera tendas;
Saucius ad gressum, Dive, satis properas,

L I X.

Centies in diem orat, & mane binas integrè horas pronus in terram.

FRancisco vel sæcla diem labuntur in unum.
Dat numerum precibus sectilis hora suis.
Centenis se se vicibus prosternit, & imo
Apprimit illoto tabida labra solo.
Jam putret os, vocale Deo vel dentibus expers,
Et sapiunt sacrum marcida verba melos.
Præmia promeruit pugil hic tot Olympica victor,
Emerito quoties pulvere fusus humi est.

L X.

Septies quæsitus ad Purpuram, religioso fastu reiecit.

ILlusasque Tago trabeas, & sceptra, Coronasque,
Et proavæ fugiens Borgia fortis opes;
Quamquam Ignatiadum latebris se vovit, Honori
Nequa umquam voto vindice rima foret,

Non

Non tamen in vili potuit latuisse lacerna.
  Nulla tegit magnum decolor umbra Ducem.
Insequitur fugientem ostro Fortuna Quirino;
  Inque caput mythræ Principis Iris hiat.
At stabilem obfirmans animum ad divortia Famæ,
  Plus odio spreti muricis erubuit.

L X I.

Ad Judæ proditoris pedes se abijcere assuetus, recessit, procumbentem e cœna contemplatus Deum.

Fœda quid insistis bifidi vestigia Judæ?
  Prodroma Divinæ funera cædis olent.
Eumenidum furijs pateat, Libyæque chelydris
  Hæc sedes. alios Borgia quære lares.
Ergo abit, hospitiumque timet spectabile, postquam
  Demissum memorat procubuisse Deum.
Quo fugies? jam nulla tibi dat Terra Penates,
  Angeris exul, inops; quam benè non habitas?

L X I I.

Literis subscribit: Peccator.

Borgia ais ne? datis audes jurare tabellis,
  Te miserum, & multi criminis esse reum.
Credimus. ambisti nihili quòd nomina, peccas:
  Carnifici peccas in tua terga flagro.
Tartara quòd refugo censes tibi debita, peccas.
  Peccas quòd vulgi jurgia surdus ames.
Et Latij peccas quòd Muricis oderis ostrum.
  Qui tamen hæc peccat pessimus, optimus est.

LXIII.

Podagricus oblatum renuit lac a Filia Lerma Duce.

HÆserat articulis acri diu flammea visco
Vis podagræ, tumidos urere lenta pedes.
Nata Patri medicum e mammis lac obtulit ægro:
Leniat hæc, inquit, Pęonis unda luem.
Abnuit infidam a sexu, timuitque medentem,
Ne candor rueret, Borgia, lactis opem.

LXIV.

Febri correptus, ad B. V. Lauretanam iter faciens, convaluit.

UNa oculis domus hæret, & assonat auribus una,
Fausta ubi Virginea Daphnide tecta nitent.
Borgius huc properat febri flammatus acuta,
Quam passim gressu jam propiore fugat.
Tandem sanus init, sanctisque dat oscula muris.
Hic sua, ceù Mundi publica, parta salus.

LXV.

Gravi veterno pressus, nec admoto rubente calculo excitatus, ad Eucharistiæ præsentiam vigilat.

BOrgiadæ generosam animam mors instat agenti,
Funereusque premit lumina mersa sopor.
At remigrat vigil ad sensus, & se sibi reddit,
Admonitus Sacro Numen adesse favo.

So-

Sopitisque oculis, & nullis viribus Heros,
Si Deus exciret Dapsilis, Argus erat.

LXVI.

Acclusam derelictis in aris Sacram Hostiam introspicere solitus.

NUlla liquescenti vigilet pia lampas olivo,
Nullus ab aurata Pyxide vibret honos.
Non phrygius niteat per nuda Ciboria cultus;
Nubilaque informi sordeat Ara tholo.
Si lateant, divina introspicit Azyma supplex
Borgius, & vesco mellea liba Deo.
Cæca Fides alijs mysteria lauta propinet:
Huic oculos uni præbuit illa suos.

LXVII.

Principi filiæ dentem excisum in mensa restituit.

DEbilis, an casu Gnatæ dens excidit, Indo
Par ebori, & conchis Oceanina tuis.
Ergo dolet, seniumque, & adesi dedecus oris
Ingemit, informem mœsta subire notam.
Borgius excussum gingivæ infixit inermi:
Mox ait, hic cineri posthumus unus erit.
Unus in extincta potuit dens vivere calvà;
Temporis & rabidam perdomuisse gulam.
Prodigij præco credam quòd vicerit ævum,
Invida ne tantum Fama sileret opus.

Iter

LXVIII.

Iter faciens, sub dio sacrificat, ardescente Cælo.

MVltus ineſt Cælo Phaëton, & mordet anhelam
Flammea latratis ſolibus aura diem.
Borgia campeſtrem Myſtes operatus ad aram,
Diuinam patitur rem, ſimul unus agit.
Sudor it in lacrymas, & lacryma ſudat in ignes;
Dum litat ipſe ſui victima cordis amor.
Ringere ſuccenſo Canis æthere. gratior ori
Scilicet oblati Numinis Agnus erat.

LXIX.

Conſputus a ſocio per totam noctem in diverſorio cauponulæ, immoto ſilentio tulit.

PAuperis hoſpitij vili ſopitus in umbra,
In ſua dum Socius deſpuit ora ſenex,
Mucoſamque ignominiam, ſaniemque ſalivarum,
Immota, vix eſt credere, fronte tulit.
O factum benè! tantum inſtar cùm Solis haberet,
Ad decus has Virtus impoſuit maculas.

LXX.

Morbis imperat, ut deſinant.

ITe procul febres, & olentes funera peſtes:
Imperat hoc præſens Borgius, ite procul.
Auditur. Morbi Lacheſi fugere relicta;
Vena nec inſanis ictibus ulla ſalit.

Hip-

Hippocratem divina latent hæc pharmaca: Vitam,
Vna poteſt Divûm dicere vox, Recipe.

LXXI.

Tempeſtatem Pelagi ſublatis in Cælum oculis ſtatim ſedat.

BOrgiadem vehit Auſonias quæ Pinus in oras,
Fluctuat adverſis jam prope merſa Notis:
Non juvat Ars; & vela ruunt inſtante periclo.
Ergo oculos ſupplex vertit ad aſtra ſuos.
Nec mora. præcipites ſubito poſuere procellæ;
Et placidis patiens æolus hæſit aquis.
Exuerat Magnum Pietas ignara tumoris,
Hinc etiam inflatum terruit Oceanum.

LXXII.

Ad fæderandos Reges Hiſpaniæ, & Galliæ in Turcam, a Pio V. cum Legato mittitur.

VT ſacra belligeri coeant in fœdera Reges,
Threijciamque premant fœdera Barbariem;
It tantorum operum Fecialis; & auſpice Cælo
Borgius in claſſem prætulit aſtra Piam.
Dent meritas alij laudes victricibus armis;
Qui tamen hæc potuit nectere, major erit.



LXXIII.

Calcem, & cæmenta convectat ad Ognatense Collegium.

ARdua plus humili virtus se se explicat ausu,
Ipsaque lux umbris emicat aucta suis.
Baiulus e Duce Gandiaco cæmenta ferendo,
Jecit ad Heroum culmina summa basim.

LXXIV.

Precatoriam corollam donat Mariæ Mediceæ.

GAllorum Reginæ iterumque, iterumque roganti
Virginis in roseas consita serta preces;
Borgius indulget globulis tornatile buxum,
Cui tot Mediceis Orbibus arma nitent.
Pauperies hoc sancta decus mirare, Corollam
Ambit Maiestas imperiosa tuam.

LXXV.

Anno, & mense, quo moritur, novum in Cassiopæa Sidus apparuit.

EMoritur merito propior cum Borgia Cælo,
Aucta tuo lux est Cassiopèa Cyclo.
Sydereæ decus hoc Cathedræ subluxit ab illis
Olim de Nihilo, quas docuit, Thesibus.

LXXVI.

In Patronum ab Hispaniarum Rege Madriti eligitur.

Sume parem meritis felix Hispania fastum,
Aurea non uno circum obeunda Tago.
Quamquã inopẽ lambit jam Cantabris unda Pyrenem,
Nec fovet antiquum glebâ refossa Midam,
Aurum de pluvio ditissima fossile Cælo
Si tua Bos subigat Borgius arva, dabunt.

LXXVII.

Petrus Faber primus S. Ignatij Loiolæ socius, Lutheranorum malleus.

ISlebiæ Faber hic nova cornua contudit Hydræ.
Linea cui Divum cultus; amussis, amor.

LXXVIII.

D. Gaspar de Haro Gusmanus Carpensis Marchio, &c. Prorex Neapolim ingreditur Epiphaniorum die.

Ad Fabritium Pintum
Salerni cum primis Advocatum, qui tantum Principem funebri oratione immortalem Posteris reddidit.

Bethlemiæ qua luce Oriens uxorius umbræ
Obtulit Infanti Regia dona Deo,
Ingrederis Princeps Divæ Crateridis oram,

Magnus Avis, a Te major, & Urbis amor.
Nempe animi prudens, facilisque, & Dives in omnes,
Nobile par cunctis Regibus omen habes.

LXXIX.

De eodem.

EXere muscosum lacrymis caput, exere Syren;
Naufraga jam ponunt æquora, Castor adest.
Castor adest; summi quæ nuncia Numinis olim
Stella, tui præiit Principis illa viam.
Auguror hinc, inopi dabit aurea sæcula Regno,
Myrrhea flagitijs funera, thura sacris.

LXXX.

Post aridissimam hyemem, sub ejus adventum pluit.

URit hyperboreo campos dum bruma Sereno,
Et sata non ullo deficit imbre Ceres;
Parthenopen intras, & protinus ubere nimbo
Solvitur in pluvias Hesperis umbra vices.
Mox iterum tepido riserunt lumine Soles;
Spes segetum vernos herbida pinxit agros.
Temporis hæc facies, normam diversa regendi
Innuit, ad mores nubila, læta tuos.
Fulmineum pœnis te crimina sola timebunt;
Te Virtus hilarem sentiet una Jovem.

LXXXI.

Ejuſdem Principis humanitas erga nobilem Virum, cui inter ſalutandum perſpicilia exciderant.

OFficijs tua dum ſupplex Eques ora ſalutat,
Vitrea labuntur lumina luminibus.
Tollere humo hæc Princeps nutu dignaris amico;
Atque humili dominam flectere lege manum.
Noſſe ſuos Virtus ſi maxima Principis, ultra eſt
Laus, oculos etiam reddere velle ſuis.

LXXXII.

Ejuſdem munificentia ob fraga a Ruſtico oblata menſe Januario.

NAta ſub algenti quæ fraga recentia Jano
Floruerant celeri murice, grata magis;
Largiùs effuſo cum dulce rependeris auro,
Pleniùs a nummis erubuere tuis.
Scilicet hoc animum pretio dimenſus, amaſti
Non rem, ſed præcox muneris ingenium.

LXXXIII.

In domeſticum furem.

REticulis, tenuique argentum ductile filo,
Cui decus, & pretium Lipſana ſacra dabant,
Clàm tulit, & lepida factum fur arte ſalinum;
Multus ubi forma diſpare Mentor erat.
Et ſimul addictum menſis cratera ſecundis,

Quo bibitur genio liberiore salus,
Sacra Jovi, Sal Neptuno, sua pocula Baccho
Subripuit, non est fabula, Mercurius.

LXXXIV.

In impurissimum Poëtam proscriptum.

VAppius obscœno molitus carmina plectro,
Novus e cloaca Graculus;
Fornicis illuviem eructat, fæcemque gomorrham;
Stylusque Camarinam movet.
At bene fixit opus Prætoris Theta nefandum;
Vetuitque prælis imprimi.
Scilicet hæc ut eant in lucem propudia, unus
Pro torculo caminus est.

LXXXV.

In exoticam crinium imposturam male ominosam mulierum pudicitiæ.

ARdua fœmineos ambit quæ Lunula crines?
Anne caput vir sit conjugis, ambigimus.
Si quoque flet pluvium cum comitur Iride Cœlum,
Conica cincinnis fimbria luctus erit.

LXXXVI.

Idem Argumentum.

IN lacrymas libet ire, perit frons ipsa pudori,
Nempe per ampullas vanuit aucta novas.
Crinalem vittis fert multicoloribus orbem,
Men-

Mendax & vacuæ pensile mentis onus.
Quæque Helenen simulat Parides factura capillo;
Heu vereor, ne sit Troia futura procis.

LXXXVII.

Idem.

IMposuit capiti mytram Bethulis Amazon,
Et cinerem casto miscuit ausa dolo.
Sic Holophernia dæ vitamque, harpemque minaci
Eripuit, Patriæ sospita Diva suæ.
Phyllidas at nunc turrigeras cinerarius ornat
Luxus, in obsessas ære premente domos.

LXXXVIII.

Idem Argumentum.
Ad Maritos.

VOs, quibus Uxores tutulato in vertice rident;
Et prope pinnatis frons volat alta comis,
Dum redeunt ad tecta, molestis parcite; nam cum
Exuerint pompam, dimidium his caput est.

LXXXIX.

Ad eruditissimum D. Nicolaum Federicum a S. Sever. usitatè, nitidèque scribentem.
De Battulo, qui in pangendis Italicè versibus, exoletas, & jam silentes voces captat.

BAttulus exangues tussit sine sanguine versus,
Atque Hecubas tantum deperit Aonidas.
Se purum putumque hausisse e fontibus Arnum

Somniat, Etruſcis vix male lotus aquis.
Et Pindum Dantis ferula quaſſante *Magiſtrat*,
Et *Macritudinibus* intumet ipſe ſuis.
Fac legat arguti vim carminis, *Obſtrigillat*,
Nec niſi rancidulis plaudit onocrotalis.
Peierat in vatum cenſu *Longiſcere* Famam
Exuctis, quiſnam *creduat*? ingenijs.
Me tuba Torquati, chelys & nitidiſſima Teſtj;
Me rapit Argivis Ciampolis Hybla favis.
Vendere quiſquilias tibi habe hòc ius, Battule, putres:
Non *Titivillitio* cultior uſus emet.

X C.

Funebre Encomium Venetæ Minervæ, Helenæ Lucretiæ Corneliæ Piſcopiæ, acerbo fato præreptæ, tùm virtute, tùm ſapientia clariſſimæ.

PUrpuream Veneti mentemque, jubamque Leonis,
Dum radijs Helene cometet aucta ſuis,
Tabuit heu, flammaſque afflante per æthera Phœbo;
Senſit Herculeæ lucida fata Feræ.
Credibile eſt Solem puduiſſe, quòd impare Cœlo,
Victa minor ſua tunc cerneret aſtra Leo.

X C I.

In ea ſtudium litterarum, quantum quibus eſt maximum.

QUò nam Helene raperis, lepidiſſima cura Tuorũ?
Una amor Adriacæ Gentis, & una Dolor.
Vernat adhuc flos Partheniæ, geniuſque iuventæ;
Inque genis nulla conſitus arte rubor.

Sic-

Siccine depereunt viduis sua gaudia Musis?
Siccine fœminei spes obit ingenij?
Invidiam Fati, an Divum rear esse rapinam,
Non poterat Cęlum Te caruisse diu.

XCII.

Amplissimæ Corneliorũ Familiæ stemma moribus expressit.

TEssera cyaneo Cornelia fulgurat auro;
Hanc Helene vultu pinxit, & ingenio.
Idem oculis color, idem animo; complexa gerebat
Quà censum Aonidum prodiga, quà Charitum.

XCIII.

Nuptias repudiat ob virginitatis votum.

GAudia quid tentant blandis Hymeneia philtris?
Virgineam hęc Helene deperit una facem.
Usque sui victrix, thalamos, lucemque jugalem
Odit, inaccessæ nupta pudicitiæ.
Setosamque humeris tunicam, Zonamque rigentem
Induit, ingenio cęlibe vincta latus.
Plaude pudor, tantoque age deme silentia voto
Cestum Helenæ timuit tangere & ipsa Venus.

XCIV.

Authori concionanti in D. Laurentij Templo numquam defuit.

MEns Helenæ ad summũ quò tẽderet enthea Verũ,
Non nisi divinam fervida nosse Themim,

Assi-

Assiduas sacris dabat Oratoribus aures,
Inter Purpureos arbitra visa Patres.
Et pensare gravem potuit vel sola Senatum:
Cui tantum annueret libera, Nestor erat.
Quanta hæc fœmineis accessit gloria fastis?
Audijt una Foro Roscius, una Cato.

X C V.

Sacellum domi habuit magnificè ornatum, eruditæ pietatis exemplar.

ARa domi florens, & amœno discolor auro,
Ad tacitas Helenen flectere sueta preces,
Distinuit, vigili studiorum pondere pressam,
Vt sibi vel fluerent otia plena Deo.
Non alium novit Mundum; speculique disertam
Picta dabant summæ Virginis ora vicem.
Extima ne numeres lepidæ miracula Formæ.
Intima si quæras lumina, Diva fuit.

X C V I.

Patavij, hoc est in Italiæ Athenæo obijt, quasi amasset ibi condi, ubi literæ florent, & in D. Justinæ Templo sepulta.

QVo colitur Justina, & Diva Scholastica Templo;
Lacteaque hinc vernant lilia, & inde Rosæ;
Par Helenæ, par Lucretiæ dotale sepulchrum,
Fama suà sculpsit Relligiosa manu.
Pro titulo locus est; ubi tanti funeris index
Mœsta aget æternum Gloria Justitium.

Idem

XCVII.

Idem.

Condidit Antenor ductu quam Palladis Vrbem,
Altera in Euganeis Troia revixit aquis.
Prima Helenæ raptas luit olim obnoxia flammas;
Promicat hæc Helenæ clarior a Cinere.

XCVIII.

Idem Argumentum.

Mortales exuta genas, atque addita Cœlo
Dic Helene quò jam nomine sidus ages?
Gnossias an meritę referes insigne Coronæ?
Nempe decent patrium regia serta genus.
An pietas animique nitor castissimus, Aræ
Afferet? ad mores par facit Ara tuos.
Si Cathedræ dant astra locum, hanc implere magistrà
Luce potes, superis Cassiopea plagis.

XCIX.

Causaria mortis valetudo vix a Medicis intellecta.

Cur Lachesis properans Helenæ fata ultima, ferrũ
Abdiderit, dubium funeris usa dolum?
Non Aponi hæc culpa, aut rabidi vis ignea Solis.
Pæonię nullum defuit artis opus
Erubuit sęvire palam, & mors pulchra videri
Dum cuperet, tacita vulnera fixit acu.

He-

C.

Helenium Nepenthes ad Patrem S. Marci Procuratorem.

MAnibus ingratas Pater o compesce querelas,
Sat maduit luctu mollior urna tuo.
Vivit adhuc Helene, vivet meliore superstes
Parte sui, Famę nobile delicium.
Si raptam doleas terris, Superùmque beatis
Sedibus illatam, non dolor, Invidia est.

C I.

Tanta Heroina non lacrymis, sed laudibus parentandum.


FLebat inexhaustis ubi Tyndaris exul ocellis,
Emicuit tepida flosculus e lacryma.
Ite oculi in fletus, Helenęque inspergite Manes.
Forsitan has iterum floreat inter aquas.
Fallimur heu: steriles oculis dolor elicit imbres.
Inchoet ut vitam lacryma, non redimit.

C I I.

Epithaphium.

QVæ jacet hic Helene formâ; Lucretia voto,
Numinis aligeros non nisi passa Procos.
Non multum est oculis pulchram placuisse; sed ingens
Tarquiniis castam displicuisse decus.





EPIGRAMMATON

LIBER V.

I.

Ad D. Blasium.

QUi ducendæ animę vim das, mitissime Blasi,
Accipe devoti carminis obsequium.
Deciduis mihi lingua genis, nervisque solutis
Audet adhuc balba si cecinisse lyra;
Muneris hoc est, Dive, tui; cui debeo vocem,
Quid gratum possim reddere, si sileam?

II.

De Bethlemijs cunabulis sub Ara in Nobilium Sodalitio magnificè concinnatis.

COetus ubi Procerum famulis ciet ęthera votis,
Dędala Bethlæos exprimit Ara lares.
Textilibus sudata virent ubi Mænala sylvis;
Vernat Arachnæa serica Chloris acu.
Multa repercusso trepidat quà bractea vitro,
Penè vides rigui serpere fontis aquas.

Quam-

Quamquam oculos Puer unus alit, Puer unus amores,
  Qui tegit humano pulchrior ore Deum.
Ah timeo Solymùm subeat ne victima ferrum,
  Proxima si cunis emicat Ara suis.

III.

De Infante Deo inter nives.

ALget Amor rigida nive saucius,& tremit artus:
  Prodigus ah flammæ Cęlitis alget Amor.
Aspera divino quò bruna tepescat Amori,
  Ingenuas casti pectoris adde nives.

IV.

De Fide depicta ad Pictorem.

ARte nova,nitidaque Fidem cur luce coloras,
  Cui decus arcana non nisi nocte subest?
Obscuram melius pinxisset dextera; quando
  Visa Fides oculis, desijt esse Fides.

V.

Paulus vipera demorsus, Melitem ab anguibus immunem fecit.

PAulus ubi Meliten prope naufragus appulit,angues,
  Vulneris hęc merces, jussit abesse solo.
Tuta venenatos non jam timet Insula rictus;
  Nulla per innocuos vipera serpit agros.
Officij memorem testata nepotibus umbram,
  Emicat in linguas eruta gleba breves.

Pau-

Paule novam,mordemur adhuc, molire medelam:
Multa ſub humanis dentibus aſpis hiat.

V I.

Bongus Aſtrologus fulmine ictus.

AFflatum memorant tonante Cælo
Myſten ſidereum,arbitrum futuri,
Bongum Judiciarium, & diſertum
Erionem magis omnibus planetis.
Eventus varios & his, & illis
Divinabat in anteceſſum; & omnes
Fati noverat ambulationes,
Illuſtri perijt repentè pœna,
Qui peccaverat inſolens in aſtra.
Dum ſpectas cinerem,hoſpes,inſepultum,
Unum illi Lapidem Jovem precare.

V I I.

In Brontium, Leporem galeatum.

MIlle fremens Erebos,furijs accenſus inultis,
Arma minax acuit Brontius, arma tonat.
Æolius tamen in lingua Mars æſtuat; at cum
Res agitat,gelido decumet ira metu,
Stringere quem ſimulat,nil enſe modeſtiùs ipſo;
Nunquam oculos patitur nudus,& ora cavet.
Conſuleret famæ melius, ſi cautior arctam
Vaginam verbis inderet uſque ſuis.

VIII.

Ad Mallimum
Cur ab Vrbe Aquila tardius Neapolim venerit.

OCyus ut properem, nec me prærupta morentur
Aut nemora, aut dubio flumina cæca vado;
In tabula pictos ostendis, Mallime, calles;
Quos operit scythico Samnia terra gelu.
Et celeri signas compendia pollice, tanquam
Tot juga sint unà prætereunda die.
Suavis homo es; breve iter si pagina monstrat, eunti
Non eadem est mulæ semita, quæ digito.

IX.

Tuccia Virgini Vestali in argumentum pudicitiæ, aqua fluvialis non effluxit e cribro.

QUæ super effusas fuerunt transmittere lymphas
Guttatim varijs cribra foraminibus;
Virgineo fecere fidem non fluxa pudori;
Castaque suspensis Tuccia vicit aquis.
Pervigiles Vestæ quòd non peccasset in ignes
Fixa satis firmum præbuit unda vadem.

X.

Octaviano Cæsari super mensam Aquila panem rapuit.

OCtaviano rapuit unca prandenti
Ales Tonantis regium e manu panem.

Hæc prima Regni auſpicia, primus hic guſtus
Iam iam futuri Cæſaris ; & in utrumque
Potentis Orbem : quippè Principem ſignat,
Si larga populis dextra præbet annonam;
Et adminiſtris munerum utitur pennis.

X I.

Ad Telephum.
Mortalitatis memor mortem non extimeſcit.

SI memor es cineris, primaque ab origine ſtirpem
Ante oculos habeas Telephe, tutus eris.
Decertat noſtro cum Mors in pulvere, victæ
Dicimus hoc animi digladiantis, habe.

X I I.

De Turcico exercitu ad Dravum Pannoniæ fluvium profligato.

O Dryſios latè timor obruit, & ſua certant
Caſtra vel indecori præripuiſſe fuga.
Nulla laborantem juvat Iſis tinnula Lunam;
Surdaque funeſto murmure ſiſtra gemunt.
Iam Thracum vocat ad cœnam Proſerpina Regem;
Cui mox boletos Auſtria Buda dabit.



XIII.

Ad P. Nicolaum Giannettasium.

De nova Nautica epico carmine elegantissimè scribentem, quam Acerrarum Comiti dicavit,

D. Carolo de Cardenas.

IBit, io, plenis victrix in sæcula velis,
 Ars te Nauphylacem Nautica nacta Ducem.
Phœbus, Acrostoliæque micant in puppibus omnes
 Pierides, clavum dirigit ipsa Charis.
Fama dabit faciles, hilarique celeusmate ventos;
 Nempe Helice fausto in Cardine fixa præit.

XIV.

Ad Lullum Quartana continua laborantem, & Medicis insultantem.

SI quis ab aure Asini tres guttas sanguinis haustas
 Potet in heminæ duplicis æger aqua;
Febrem Amphemerinam putri compescit in æstu.
 Ut valeas aures exprime Lulle tuas.

XV.

De Lycindo emptitijs dentibus concionante.

DIceret ad populum intensa cum voce Lycindus,
 Et propè jam surdis auribus obstreperet;
Ex ascititijs compagem dentibus omnem

 Despuit,

Despuit, exossi conticuitque metu.
Parcite, mox inquit, blęso consultus hiatu;
Lingua vel innocuo plectitur usa dolo.
Quid potuit melius, si plus clamasset? abunde est.
Nil emptum in sacri Rhetoris ore decet.

XVI.

In Harpalum concidentem horti arbores, sola deliciarum conscientia.

QUæ tibi fœcundum tumet, Harpale, bilis in hortũ,
Sectilis ut viduis oscitet usque comis?
Relligio est, ramos in juncea vincla spadones
Cogere, ne florum gaudia parturiant.
En sterilem vegetas animas expirat in umbram;
Te male tonsorem devovet Antiochum

XVII.

Ad Lupercum octogenarium dissimulantem annos.

CUm dextrà prope computes peractæ
Vitæ Solstitia; asperæque rugæ
Dent præsagia funeris propinqui;
Annoso capiti facis juventam,
Cirris atricapillus undulatis.
Octo te numerare lustra, non plus,
Audes dicere vicies in horam.
Verùm est, credimus. hoc idem mihi olim
Narrabas puero, Luperce, verum est.

XVIII.

Ad Polienum odiosè munificum.

ANgeris,& vultum ducis,propiorque coacto,
Paucula si præstas mutua, penè negas.
Muneribus peccas, nec gratos reddis amicos.
Plus donant oculi, quàm Poliene manus.

XIX.

Epithaphium Sculchij.
Strenuissimi Ducis in Hungarico bello.

SCulchius hic situs est, podagra concisus acuta,
Strenuus ad Thracum funera, Martis honor.
Dum celeres ad bella manus Mors ipsa timeret,
Quod nunquam fugerent, perculit ante pedes.

XX.

S. Barbara Dioscorum patrem fugiens, in apertam petram se abdidit.

BArbara sævitiem eludens, odiumque Parentis,
Sensit ad impressam mollia saxa Crucem.
Et decori metus,& fuga profuit, hospita montis,
Prodigium! rupes induit ipsa Patrem,
Excepitque sinu! tanti est fortuna Pudoris,
Ut redimant vitam fida sepulchra suam.

XXI.

In eiusdem Parentem carnificem, fulminis igne absumptum.

CRudelis genitor debet tibi filia nomen,
Et pudet; hoc tantum Barbara, quod tua sit.
Illam, illam immiti potuisti abscindere ferro,
Quæ potuit rupem reddere Diva piam?
At bene ferali mox fulminis igne peristi,
Cor tibi si scythicas duruit in silices.

XXII.

Cantatrices Mimæ, hominum perditio.

ORpheus Eurudicen stupido subtraxit Averno,
Dum chelys Aonium funderet icta melos:
Nunc Erebi ad Manes obscœno ludicra cantu,
Fœmina præcipites non trahit una viros.

XXIII.

Tumulus candidissimæ catellæ sub Augustum mensem extinctæ.

QUæ jacet hic nivibus Mellissa nitentior ipsis,
Alba sub alpino nata catella jugo est.
Fata per æstatem læsere secuta colorem.
Non potuit rabido nix nisi Sole rapi.

In

XXIV.

In Euclum gracissantem barbarè.

CEcropias vatum veneres in carmine captas,
Indocilis Latiæ tangere fila lyræ.
Ebrius insanis; nec totum potus Ho-merum,
Cauda hæret numeris, non caput, Eucle, tuis.

XXV.

In Follinum turpissimis amoribus, & laqueo miserum.

VEcors nepotum vappa sordidatorum,
Lustris, rapinis, crapulisque diruptus,
Exulceroso gallicarneus tabo,
Follinus, olidis sulphuratus unguentis.
Centum mephites ructat, & tamen prurit.
At, at scelestum funis extulit morbum:
Per colla sanies fluxit, & statim sancto
Convaluit hausto per malam crucem, ligno.

XXVI.

Phaëton sculptus in gemma, & currus, & equi, ex Galeno.

QUi malè Signiferum præceps Auriga per axem
Debuit Eridanis flammea busta vadis;
Rursus in hac equitans Phaëton Gangetide gemma,
Non timuit fluidum sculptilis arte rogum.
Desinite Heliadum luctus: soror altera fratri
Gemma, genus redimit Solis, & una diem.

XXVII.

De marmorea Veneris statua sub cœnoso fontis arcu.

FOntani Venerem insculptàm sub fornicis arcu,
Turpe pudicitiæ cernere funus erat.
Nata mari gaudebat aquâ saliente renasci,
Eliciens niveo e marmore nuda faces.
Illuvie tandem, muscosoque oblita limo,
Purior est, quò plus fœdior ipsa Venus.

XXVIII.

Ad Maurum iniuriarum impotentem.

QUò ruis obliquo perstrictus scommate? quò te
Ira rapit? brutis moribus adde moram.
Discute Naturam: nimium indignata fatiscit.
Quàm brevis est ætas fulguris? ulta perit.
Iurat in hoc Ratio; potior vindicta ferendo est,
Maure creas hosti gaudia, si doleas.

XXIX.

S. Columba in lupanari ab Urso defensa.

FOrnicis ad sordes feritas obscœna Columbam
Devovet, ut mortem sentiat ante Pudor.
At Fidei custos fremit Ursus, & unguibus horret,
Ne paveat stygias candida Diva manus.
Signifero potuit Cœlo certare lupanar,
Cum dederit comites Virginis ire feras.

Ad

XXX.

Ad S. Januarium Apotropæum cuius Sanguis efferveſcit ad capitis occurſum.

DUm refluunt roſeæ, venarum munera, lymphæ,
Et tuus in vitreo ſubſilit orbe cruor,
Sponte etiam vitam Mors induit ipſa perennem,
Ne ſubeat vivi ſanguinis invidiam.

XXXI.

S. Colmannus e Regibus Anglis oriundus, ſuſpenſus ab arbore, floridam reddidit.

PVrpureis hiemem quæ floribus induit arbos,
Mortem habuit verni geminis agricolam.
Extulit extinctum Colmannum; atque inſita vitæ
Æterni geneſim ſtemmatis alta dedit.
I Furor, Heroas Fidei ſuſpende; rependet
Pœna coronatas pulchrior inferias.

XXXII.

De S. Franciſco Aſſiſiate ſtigmatico.

PArce, tuo minor es famulo, Rex maxime Divum.
Non odium, tuus huic ſtigmata fecit Amor.



XXXIII.

Opus musivum ex lapillis picturatis.

OMnia miscuimus. pingit sculptura, supinamque,
Hinc secat, hinc effert mima superficiem.
Praxiteles abit in Zeuxin, multusque renidet
Parrhasio Phidias, multus Apelle Myron.
Dividuis lapidum crustis simul æquora, sylvæ,
In plano emergunt prælia, castra, Duces.
Nil adeo rude, nil durum non proficit Arti.
Si velit, in subitum Prothea saxa migrant.

XXXIV.

Ad Æmilum, quòd oden de Rosa hiemali non miserit.

AD te negligerem? bis scripsimus Æmile; sed quæ
Poscis, adhuc curæ sedulioris egent.
Delicium brumæ, Rosa natà rigentibus Euris,
Subrubet in pluteis semiadaperta meis.
Distulimus misisse, oculis ut culta legatur.
Nulla hæc, si critico carpitur ungue, Rosa est.

XXXV.

In Ardalum absurdè divinantem.

FErt somniorum pensilem Ardalus collo
Quassatque tripodem Fabulinus, & vatem
Imaginosis augurem crepat gerris.
Minetur hiemes imminente jam Cœlo;

In-

Innubis æther ridet: aureæ lessum,
Famemque Cereri præcinat, sitim Autumno,
Annona fœlix uberes alit glebas.
Sic vera mendax loquitur: & suis fidam
Antiphrasis una pondus asserit nugis.

XXXVI.


S. Agnes in prostibulo magistra pudoris.

TEn' capiant nivibus par Diva recentibus Agnes,
Quæ redolent mœchas turpia tecta lupas?
Divinis age fide animis; ubi sacra Pudori
Mens nitet, in medio fornice Partheneum est.

XXXVII.

Ad Buphagum factiosa lingua, & sublesta fide.

SI quis in os dicit tibi, Buphage, *Fusce Pharètra*,
Durius accipis hoc, quàm decet ingenuum.
An fuscus color offendit? sed fuscus Amyntas:
An pharetra? hanc humeris alifer aptat Amor.
Cur faciat bilem Calabri breve carmen Horatj,
Vis dicam? mores arguit oda tuos.
Nam parui, pravique animi, quæ blandula cudis,
Infuscata nigro spicula felle tument.



XXXVIII.

In obitu amicissimi P. Caroli Florilli, qui peste affectis inservierat sine damno, & verno tempore ob incisam sæpius venam interijt.

FUnereo didici quæ sævior impetat Hydro
Febris, & in celerem serpat anhela necem,
Hippocrates si fallat in observata supinos;
Et dubijs altè fluctuet insidijs.
Sic properè te succisum, Florille, dolemus;
Florida dum verno gaudia sole virent.
Imposuit mentita luem Pleuritis acutam;
Mersaque ter fuso in sanguine vita, fuit.
Transierat rabidæ quem falx innoxia pestis;
Messuit ars medicis sedula lanceolis.

XXXIX.

De eodem, qui festo S. Januarij die post Kal. Maias obijt.

SAnguineo votiva sui quam Cœlitis ostro
Concelebrat Syren Parthenopæa diem.
Gratulor hanc, Florille, tibi illuxisse supremam;
Pignus inoccíduæ prodroma lucis habet.
Martyris o quantum fert posthuma Purpura vitæ,
Unde metus refugæ mortis, & unde rubor.
Æternà refluit scatebrà, Cœlumque propinat,
Cum liquet in gemino sanguinis unda vitro.
Arueris quanquam Maio, Januarius imber
Te poterit superis inseruisse Rosis.

XL.

In Burrum modica litteratura, qui supercilio sumpto eruditionem iactaret.

MAvult haberi Burrus omnium gnarus,
Non esse; si quid abditum, insolens audit,
Suo notatum memorat in palimpsesto.
Cum fortè librum fingerem haud typis cusum;
Nescire renuens aliquid, improbè mendax,
Decem ante se annos lectitasse juravit.

XLI.

Horologium Solare in Villa.

FIdite ne Socij nimium silvestribus horis:
Has serit, & volucri demetit umbra stylo.

XLII.

Aliud.

LUdicra sunt miscenda pijs solatia curis;
Lineolam ducat singula ut hora suam.

XLIII.

Idem.

NOn eadem redit hora, fugax ruit indice ferro.
Quæ sequitur, certam non habet una fidem.

In

X L I V.


In publicum Latronem furca multatum, cui nomen, Centum anni.

INcidit in furcam, qui vivere Nestoras ausus,
Mendax annoso nomine Sæculum erat.
Pœna nefas ultura, nigro caput obtulit Orco;
Et sua fictitio fracta juventa seni est.
Ut lueret raptum fur centenarius ævum,
Mors bene fatalem substulit ante diem.

X L V.

xvij. Kal. Septembris, qui dies sacer est SS Rocho, & Hyacintho, a Lotharingio Duce Turcarum profligatus exercitus est.

INdigetem Gallum Deus, Indigetemque Polonum
Iussit in auxilium Cæsaris ire Duces.
Hinc Rochus pestes Arabum, Lernamque rebellem
Compulit ad trepidam morte inhiante fugam.
Hinc pedes immanem domuit qui Vandalon undis,
Danubias Getico sanguine vertit aquas.
Æmula, quamquem absint tela auxiliaria Regum,
Fortunæ Cœlum militat Austriacæ.



Ad

XLVI.


Ad Victorialem Leopoldo Cæsari Augustum Mensem.

PLAude age Pannonijs felix Auguste triumphis,
Nunc meritum tanti nominis omen habes.
Sydera Sextilem aspectum mutasse Trigono
Vidimus, & fausto signa præisse cyclo.
Ismara fatalem luxit bis Delia noctem,
Nec patitur Soles jam fugitiva tuos.
Nectere laurigeros ne desine Cæsaris annos.
Austrius, o quanta hæc gloria! mensis eris.

XLVII.

Ad Eminentiss. Beneventi Prothemysten Cardinalem Vrsinum libros perlegentem inscriptos, Manna animarum.

SYdereas Cœli lacrymas, & fusile nectar,
Vnde animas vesco Numine pascit amor;
Et genus, & Virtus, & Sacri muricis ostrum.
Dulcia dant votis pensa legenda tuis.
Gusmanis Vrsina sitit Rosa consita claustris,
Non nisi divini lambere roris opes.



XLVIII.

In dirnendis SS. Martyrum sepulchretis murali pilæ traiectus miles.

ERueret Divum cum cœmeteria miles
Aggeris in vallum, belligeraſque moras;
Ænea glans Cinerum vindex exarſit in ictum,
Et male fulmineo pulvere merſus obit.
Parcere ſi buſtis hominum abnuis impie, ſacris
Manibus,& Cœlo parcere diſce Furor.

XLIX.

S. Apollonia ſponte ſe in flammas coniecit.

O quis Apolloniæ calor incidit Heroinæ,
Vt fatum,& ſexum vinceret ipſa ſuum?
In medios, mora nulla,libens ſeſe impulit ignes,
Carnificum tumidas ludere prompta minas.
Divinis inhiantem animum,& Cæleſtium amantem,
Abripuit feſtæ pronuba flamma necis.
Friget ad hæc Mutj jam dextera: fortior hauſit
Majus ab imbelli Virgine Roma decus.

L.

Explicandis litibus maximè conferunt dona.

APta perorandis lex eſt MANILIA cauſis;
Si digitos ungas Iudicis, una ſatis.
Arbitrijs ubi ſe dubijs immiſcuit aurum,
Ius liquet. O quantum muneris ingenium eſt!

De

L I.

De Pontico in primis avaro, qui cum præcoces ficus pro symbola spopondisset ad prandium, binos aureos expendit, derisusq; parcissimè edit.

QUæ tibi lanx ficus addixit prima recentes,
Illa fuit cœnæ pes, simul illa caput.
Cætera fastidis obsonia Pontice; nec te
Aureolis captant fercula lauta tuis.
Immo debueras plus indulgere palato:
Empta sapit saties, desipit empta fames.

L I I.

In Oscum absurdissime Sciolum.

UT nimium sapiat, nimium omnia desipit Oscus.
Ingenij dos est maxima, Sobrietas.

L I I I.

De Sancto Simeone Stylita, qui ulcerum vermes in gemmas vertit.

STylitem àëriç civem miremur Eremi,
Cui facit augustos Pyramis alta lares.
Solem, hyememque ferens, & fulmina, verminat æstu
Usta cutis, stricto verminat usta gelu.
At fluit in saniem Ganges; & munera Regum,
Memnonijs vermes emicuere genis.
Ingenium vitij est, ipso putrescere fastu:
Virtuti gemmant ulcera, census inest.

L I V.

In Pappum imperitissimè exscribentem libros, compendij causa.

CUm neque vix Tiberin. Pappus, vix noverit Arnũ,
Et Latio atque Italo scripturit usque stylo.
Deque suo nil est, rapit omnia, & omnia farcit.
Hæc olet & Titium pagina, & hæc Tatium.
Una lucri docet ars, alieno vivere furno.
Mens tota extremis exulat in digitis.

L V.

Mors Corallina.

PUrpurat algoso mors hæc quæ dura corallo;
Si tua pallescant crimina, mitis erit.

L V I.

In Gabbulam sub hispano collari & habitu, latrocinijs vacantem, ad triremes damnatum.

HIspano strictim nectens dum colla monili
Causidicum exprimeret Gabbula, furem ageret;
Ad remos, ut erat, vultu damnatus eodem,
Furta catenato diluit uda foro.
Laurea Mercurijs sedet hæc, ut complicet arctè
Ad scelus aligeros ferrea vitta pedes.

L V I I.


S. Pegasius M. inter tormenta canebat: Quoniam apud te est fons Vitæ.

PEgasis Aoniam dum plauderet ungula rupem,
Ad Vatum salijt protinus unda sitim.
Fabula prolusit Vero. Vitalia Divûm
Elicuit moriens flumina Pegasius.

L V I I I.

S. Irene V. & M. in Tagi profluentem demersa, Angeli marmoreum sepulchrum struxere; recedente quotannis fluvio in modum fornicis; ut populis pateret accessus.

MErgitur Irene, Superæ chorus aliger Aulæ
In tumulum famulo flumine sculpsit aquas.
Quin & in obsequium se pensilis extulit arcu,
Ad festam tantæ Virginis unda diem.
Pulvereo patuit pede semita trita precantum,
Dum vitreo Pietas itque reditque vado.
Contra aurum titulo hoc tumeat Tagus: Urna sepultæ
Nascentem potuit vincere Gangis Eon.



L I X.


S. Charitina Virgo in mare proiecta, ſaxo ad collum alligato, ſolutis vinculis, ſuper undas ambulans evaſit.

CIncinnus Charitum tenax pudoris,
Damnatur Charitina fluctuanti
Undarum barathro; premuntque collum
Ingenti numeroſa vincla ſaxo.
At non ambiguo ſoluta greſſu,
Vicit ſupplicium voraginoſum;
Et ſicco pede naufragam procellis
Eluſit rabiem. Vadum in periclo eſt;
Eſt & Virginibus fuga ipſa Portus.

L X.

Thanatoſophiam cunctis unicè diſcendam.

DIſcitur heu paucis Mortalibus ars moriendi;
Quæ trahit æternum ars una bonũ, una malum.
Incertum nam fallit inevitabile fatum:
Nec reditus, erres ſi ſemel, error habet.
Hic ſapit, extremam quiſquis timet anxius horam.
Atra dies menti, fauſta dies animæ eſt.



Ad

L X I.

Ad Firminum ob chartæ donum litteras sorbentis, ac trasmittentis.


QUam mihi misisti bibulam, Firmine, papyrum,
Hydropem scapis occulit ægra suis.
Nec patitur calamum; subitisque adversa lituris
Egerit in nigram singula verba picem.
Ergo nil referam pro munere. nempe caducis
Atrum quid saperet pagina litterulis.

L X I I.

S. Myrops V. in carcere, canentibus Angelis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, suavissimè obijt.

SEnsim animā dū vincta Myrops sub morte trahebat,
Quà silet horrendo carceris umbra chao:
Insonuere hilari divina Trisagia cantu,
Unde soporatis sensibus occubuit!
O nimium fœlix! hæc * Phonoiatrica Divûm est.
Erudiunt pœnis musica fata suis.
Virginibus somnus fatuis si funeris auspex,
Inchoat æternùm vivere, si sapiunt.

* Medicina per musicos modos.



LXIII.

Ad Maximum.

S. Philippus Nerius Aulicos Romæ revocat ab ambitu, utens bisyllabo : Quid tum ?

PRoiectoria regnat ars in Aulis:
Nam Fortuna dolo pecunioso
Captat blanda pedes; opima verbis,
Nunquam rem loquitur: per alta præceps
Imis æquat arenulis colossos;
Sacra hinc Nerius emphasi disertus
Sermonum phaleras perosus omnes.
Veri Suada, medulla gratiarum,
Binis carmine syllabis, biformes
Delevit fatui strophas Honoris.
Romæ vota facis cliens - Mathesis
An te sidere ducit auspicato?
An census, & imagines Avorum?
An dos mentis, & eruditiones?
Sit factum bene: ad Infulas via hæc est.
Quid tum ? culmina summa Vaticani
Ascendes, triplici potens Tiara:
Quid tum ? Maxime, jure mortuali
Debebis cinerem putrem sepulchro.
Æquè plebs Tyberina, Præsulesque
Marcent exigua pares in Urna.

S. Char-

LXIV.

S. Charterius M. totus effluens aquis ignem extinguit.

PLaudite iò superi. piceos delectus in ignes,
Charterius toto e corpore fudit aquas.
Funereumque rogum vitalibus obruit undis;
Mersaque nec fumi tædia flamma subit.
Rūpere Rex Erebi. plus te, quàm Tartara, quàm Styx,
Ussit adorato frigidus imbre cinis.

LXV.

Ad Ginnarum de Archimedis Helice, seu vita perpetua.

COnsilijs Helicen Siculi prætende Magistri;
Ginnare, quæ sine vi vis agit, hæc peragit.

LXVI.

Ad Lesbum ut obfirmet animum in virtute.

SI te severæ, Lesbe, cum vacas vitæ,
Suspiriosum ridet otiosorum
Pingui cachinno turba, cui pudor nullum
Justitium edaci, feriasque dat ventri;
Ne verte mentem: displicere discinctis
Compendium est honoris. oderint lucem,
Non altiorem noctuæ diem lædunt.
Iniuriam intellecta non timet Virtus:
Ab improbis, cui tuta fama, nesciri.

L X V I I.

In Artemidorum avarum patrem familias, omnia conniventem uxori.

ANnonæ fallentis habet faciem Artemidorus.
Videris hunc,ipſam videris eſuriem.
Accifam queritur ſegetem, campoſque relictos;
Nullam oleis, nullam vitibus eſſe penum.
Ne properent dentes, dura omnia, & oſſea gnatis
Apparat,& Cereris nautica fruſta nigræ.
Cruda iterum redeunt,ſemeſaque meſpila menſæ;
Et vacuæ lepades, gobioliquе putres.
Decoquit,in tunicam ſi tres expenderit aſſes;
Sive duos obulos ſolverit in ſoleam.
Non tamen uxori gemmas, non denegat aurum;
Crinales tantùm quæ male novit acus.
Undè tenax ſoboli ſimul eſt, & largior uni?
Neſcio quid vellem dicere, ſed taceam.

L X V I I I.

In obitu Clyti invidiſſimi.

MYſtes invidiæ nigras ad oras
Tandem tandem obijt Clytus, Volonum
Ingens turba ſequuta ſannionum;
Hirritusque canum, truceſque rictus;
Et pallor, macieſque, faſcinique
Tabeſcente oculo nocentiores:
Nunc luctu miſer uritur perenni,
Quòd nullus ſibi poſſit invidere,

LXIX.

In Galbulam de familia Grandiorum, & sui jactatorem.

COrporis immanem sortitus Galbula molem;
Quæ posset Pervæ vincere Patagonas;
Mentem Agamemnoniam jactat, torvùmque superbis
Penè supercilijs arduus astra ferit.
Desipit, ingenium palmo dimensus inepto;
Plus adamas pretij, quàm juga montis, habet.
Oblonga Vacuum est in arundine, curta Sicanos
Canna medullifero nectare ditat agros.

LXX.

In Poëtas criticè lascivos, ad Roscillum.

QUid rogo, quid factum est? regnant alvearia vespæ;
Præcinit argutis noctua Luscinijs.
Et dolor, & pudor est. pendet sub fornice laurus;
In vitium præceps Orgia Pindus agit.
Carmina si morem inficiant obscœna, leguntur,
Legerit hæc pietas, clamet; aquam manibus.
Culta stylo sapiunt, dices, & Apolline multo:
Ars placet in satyris, Bilbilicique sales.
Non minus argenteæ fœtent, Roscille, latrinæ;
Fœdaque gemmato in nectare mors bibitur.

Ne-

LXXI.

Nero e voluptuaria specula gladiatorum pugnas smaragdo spectabat.

IMmane monstrum, sanguine & luto fictum;
Nihil in Nerone non nefarium crimen,
Vel nomen ipsum: rabies in animo gliscens,
Mænades in oculis: dimicantium pugnas,
Saniemque Circi, blandiente gaudebat
Visere smaragdo. dum virent, Tyrannorum
Gemmæ timentur; pretia cædibus miscent,
Hilaresque faciunt vel cadaverum strages.
Crudelitas se potuit ipsa mirari,
Oculata peior sub Nerone, quàm cæca.

LXXII.

Tiberius tonante Cœlo caput lauro cingebat.

TEmpora laurigerà munire Tiberius umbra
Svevit, in adversum, dum tonat æthra, Jovem.
Nam neque secessus Caprearum, & speluncarum
Fulmineum poterant abstinuisse metum.
At vindex Cœlo tangi fortuna timentem
Extulit, & terram nec dedit ad tumulum.
Demersosque Tybri Manes immiscuit undis,
Tandem ubi Biberius desijt esse Mero.

LXXIII.

*Ad Regulum * philautiæ mancipium.*

* Sui amantem.

QUod tua, te palpes, & ames, sit fastus amoris;
Quod sine rivali, Regule, stultitia est.

LXXIV.

De Iride rixas excitante inter Physicos.

EXcussit cerebrum multis hæc quæstio: an unquam
Iris in aspectu tota minetur agris.
Dimidio, censent alij, se cornuat arcu.
Quà minus obliquo nubila Sole nitet.
Perque suos oculos alijs sanctamque Mathesim
Jurant, quod pleno visa sit ipsa cyclo.
Sic acuunt sannas, & acerba * glottyde mussant.
Sic Cynico Cœli gaudia felle pluunt.
Quam dabitis pacem terris o Numina; si lux
Nuncia jam pacti fœderis, arma ciet?

* Linguæ serpentas.

LXXV.

In Casserium impostorem Togæ candidatum.

ESurijt, dum Scriba foret Casserius olim,
Sordida vix beræ prandia; potus, aquæ.
Sic prensare Togam studuit jejunus, & Aulæ
Imposuit, sicca Stoicus hypocrisi.
Judicis ad fasces en venit, & helluo cœnat.
Ars nova flagitij hæc, ambitiosa fames?

Ne-

LXXVI.

Nero, cuius inventum fuit, aquam decoctam refrigerare, brevi moriturus, duos calices e cryſtallo fregit.

IMperij occaſum ſtolidæ Nero prodigus iræ,
Fruſtra decoctis illachrymatus aquis.
Bina ſolo alliſit cryſtallina pocula vindex,
Pocula Phidiaca diù vigilata manu.
At gratum hoc ſuperis: ſitias ne Roma Neronem,
Relliquias calicum jam tibi Fata negant.
Vitrea Fortunæ diſcant hinc dona Tyranni.
Ut bibat, in cyathis frangitur ipſa ſuis.

LXXVII.

De Nivatis per æſtatem potionibus.

BRumæ delicias voluptuoſæ
Auguſtis gula provocat Kalendis,
Sub Cœlo glacies Caniculari
Per cœnacula ſumptuoſiorum
Lautam fert hiemem, Alpiumque pœnæ
Ningunt gaudia diviti popinæ.
Frigeſcunt patinæ, calentque fauces.
Convivæ Rhodopen bibunt, eduntque
Mixtam ad pocula raſilis falerni.
Calloſumque acuunt gelu palatum,
Exorbentque ſitim. Sagaxne tantùm
Auſa eſt ganea blandiente luxu,
Ut nix urere poſſet helluones?

LXXVIII.

Lacedamones Templum Morti posuerunt.

QVæ Lacedæmonijs Mors culta est supplice Tēplo,
Saxea mentitæ Mortis imago fuit.
Nā quo quemq; loco perimit Mors vera, sepulchrū est;
Tam sua, quàm tellus tenditur, Ara patet.

LXXIX.

De Cimicum Medicina.

QVàm fœdum cimicum nomen, dictuq; pudendū?
Millia difflatę funera pestis olent.
Horror ad excubias somni clam flammat inertes;
Quas ubi fortuito presseris ungue, doles.
His tamen innocuo mitescunt aspides ictu;
Hausta nec arcana cęde venena tument.
Nil adeo Natura parit, quod inutile vitæ.
Damnatis etiam in rebus operta salus.

LXXX.

Mons cinereus superiore sæculo enatus prope Puteolos.

INter sulphuream solo Dicarchin,
Bajarumque sinus, silente Luna,
Emersit subito minax hiatu
Mons, noctis soboles, & æstuosi
Excrementum Erebi. nigrę bitumen
Glebę parturijt, cinisque molem.
Circum Nereidasque, Naiadasque

Ex-

Excussit metus; & propinqua luctu
Hæc tum Parthenope, Satis Vesevi
Ardentem heu! patior rogum furentis.
Quid montes cinerum tumore surgunt?
Vt nostris nova sit querela terris,
Et casu sata defleam sepulchra.

LXXXI.

In Lygdamin fuco oblitam.

TEmplorum in foribus lustralem attingere lymphã
Vel summo refugit Lygdamis è digito.
Ne gypsum & stibium, cerussatumque ruborem
Diluat, & pictos gutta caduca dolos.
Jam nullus dubitem, similes Ereboque gemellas,
Sancta quibus metus est unda, putare genas?

LXXXII.

Ad Marcellinum ineptum ad studia litterarum.

QVod faciles musas, & prima elementa Sophiæ
Non capias, tardo parcimus ingenio.
Perfectæ cerebrum tibi, Marcelline, figuræ est.
Nulla vel in puncto tangere plana potest.

LXXXIII.

Ad Lollium unicè a febri metuentem.

FEbrifugam medicæ mendicat pyxidis artem
Lollius, & pulsu semimicante tremit.
Prægustatque uno confossos vulnere cervos;
Tri-

Tritaque theriacis cornua potat aquis.
Plura etiam nectit geminis epithemata carpis;
Armillasque onerat pulvere vipereo.
Stultus in hoc; vel naufragium, vel fulminis ignem
Exoret sibi, qui vult sine febre mori.

LXXXIV.

In Hermum inexpletè saturum.

PRansus amas mensæ diu lingere, si qua supersunt,
Conijcio ex vultu quid velis Herme? famem.

LXXXV.

Veronæ in marmore ad vivum expressi sine arte pisces.

LVdente casu sculptiles duos vidit
Verona pisces, lapidis e sinu natos,
Squamis recentes, & micantibus caudis;
Vt pelagi alumnos Tethys ipsa jurasset.
Oculis gulosi omnes adeste pransuri:
Saxatiles hic verè habebitis mullos.

LXXXVI.

Cæcus ocularijs utens specillis.

ULtra Tiresiam cæcus, talpasque sepultas,
Fert oculis Lycophron incuba vitra suis.
Stulta sub hæc simulat collyria mimicus Argum;
Atque per urbanas itque, reditque vias.
Quin tabulas laudat pictas, & amœna vireta:
Præ reliquis sibi res gratior una, color.

De-

Democritum rumpit, ſaxis ubi mutua reddit
Officia,& nutu ſupplice dicit,Ave.
Sic umbras geminat mendax inſania:& ipſis
Mens etiam vitris exoculata ſubeſt.

LXXXVII.


In Pontacum.

VBi grávis hemicranio
Cephalèa vexat Pontacum;
Odit Medicorum pyxides,
Capos ligurit altiles
Pingueſque cortis pullulos.
His eſculentis plumeis
Leviſſimum reddit caput.

LXXXVIII.

In Scribas nummirapios.

PRagmaticis ſi parva cliens aut publica donet,
Damnatum cenſent legibus eſſe nefas.
Non ita ſi tacitum nummaria deferat aurum
Pagina, clamoſo charior una foro.
Cauſarum hæc caries,Rectique noviſſima labes
Juſtitiæ violat ſyngrapha cæca decus.
Quæ redimit chartis ſignata pecunia lites,
Ipſa fidem furtis addit, & ingenium.



In Funere

Augustissimi Hispaniarum Principis Balthasaris:


Sub Leunculi allegoria laudati, cui illud Genes. c.49. aptavimus.

Catulus Leonis Iuda: Ad prædam Fili mi ascendisti; & quiescens accubuisti, ut Leo.

Symbolum heroicum Vrnæ insculptum.

Leo semiapertis oculis dormiens, cum lemmate.

Cubat, an excubat?



LXXXIX.

Virtus militaris fulgure armata.

TYmpanaque, lituosque, tubasque, hilaresq; tonitrus
Lugubris in querulos tibia flecte modos.
Occidit, Austriaci fax occidit una Gradivi,
Nata triumphales una præire dies.
Fulgura quid *jactem*? cursu magis acta citato
Dispereunt, quò plus fulgura lucis habent.

X C.

Politica cum clavo & Anthora.

DUm mihi Castor eras, Maurũ ultra, Indumq;latẽtẽ
Victrices libuit præterijsse vias.
Nec maria horrescunt,silet aura,silentque procellæ.
Dum cadis heu ! lacrymarum ingruit Oceanus.
Ne pereat,tumuli de pulvere siste carinam.
Anchora non puppes visa, sepulta juvat.

X C I.

Magnanimitas, cuius in dextera Cor.

SUnt votis angusta meis latera ultima mundi,
Sol numquam Hispanis occidit imperijs.
Nunc animi cecidere. premit brevis urna meum cor:
In cinerem nostri pectoris arsit amor.
Immorerer comes ipsa;meam sed vividus implet
Magnanimi famam nominis ipse Dolor.

X C I I.

Securitas columna innixa.

QUàm vereor ne lapsa meæ decora alta columnæ
Ad casus jaceant,Austrie magne, tuos.
Illa Indis, illa Æmathijs oneranda trophæis
Invida mors atram in pyramin ire jubet:
Mors ausis ne fide. meas fultura ruinas
Marmora vel tanti funeris urna dabit.

XCIII.

Sapientia cum Noctua in galea.

AD tumulum vocor, Hefperijs quæ Pallas Athenis
Florebam Auftriaci vertice nata Jovis.
Flebilis elicerem ad tantos maria omnia luctus,
Abnueret pelagi ni mea vota Deus.
O ego Cecropiæ fprevissem infigne Minervæ!
Ante diem hæc cecinit funera Noctis avis.

XCIV.

Amplitudo Imperij.

ADdideram Gangemque Tago, & te Gadibus, Oeta,
Unicus ad famam nec fatis Orbis erat.
Nunc piget antiquæ fortunæ, & nominis ampli,
Auftriaden brevior cum tegat urna meum.
Ah timuit Mors, nulla videt dum limina Regni,
Tranfiliat metas ne quoque vita fuas.

XCV.

Claritudo Imperij.

SPlendor ubi trabeæ? Regnique? ubi Principis aulæ
Phofphorus? Auftriadæ fidus Alexis ubi eft?
Vibrat inexhauftum radijs, Phœboque gemellum
Inter olympiacos addita flamma globos.
Ergo umbris umbras juvat addere. prodiga lucis
Aftra fub obfcura non nifi nocte nitent.

X C V I.

Stabilitas Imperijs.

COnstiterant si regna tuo Puer inclyte nutu,
  Debuerant nutu sistere fata tuo.
Heu malè quàm celeri præceps ruit impetus ævi!
  Heu trabeæ Regum quàm leve pondus habent!
Austriade victura tuam prope firmior urnam,
  In Nioben lacrymis obriguisse velim.

X C V I I.

Religio quæ flammas fert.

O dolor! exanimis gelida meus ignis in urna est.
  Unde suos rapiet Romula flamma dies?
Flamma cadat, maiora manent compendia lucis,
  Illa sub hoc niteat dum rediviva rogo.
Si qua meas arsura umquam fax desit ad aras.
  Austriacus se se vertet in astra Cinis.

X C V I I I.

EMBLEMATA.

Sol Leoni insidens.

FLammivomo radiantem ausu, volucremq; Leonem
  Attonito Titan æthere sessor agit.
Commentum veteris famæ. raperetne Leoni
  Ambigeres, phaleras luminis, an ne daret?
O puer aurigæ trahat Austrius esseda lucis,

Quan-

Quantus in occiduo rideat orbe dies!
Hunc si tractasses trabeatum Phœbe Leonem,
Quattuor hic unus prænituisset equis.

XCIX.

Achilles extincti Leonis medullis alitur.

QUò teneros alat Æacides terroribus annos,
Nuda Cleonææ pascitur ossa feræ:
Semianimesque minas membrorum, & hiantia mandit
Viscera, bellaci dona cruenta fami.
Carolus, Austriadumque animos, moresque Leonum
Hausit, inexhaustis crescere multus Avis.
Hinc facili dum dulcè ferox micat indole virtus,
Et sibi Pelides, & sibi Nestor erat.

C.

Agamemnonis scutum, in quo Leonis caput.

QUi munire potest fictis rugitibus Ægin
Horridior torvæ Gorgonis ore Leo;
Per volucres telorum ignes Agamemnona texit,
Graia ubi Pergameo prælia Marte tonant.
Maius at Austriadæ Maiestas viva Leonis
Tegmen erat regnis, Hesperis aula, tuis.
Obvia Maurigenùm Libycos simul iret in arcus,
Hæc simul impleret fulminis una vices.

C I.

Leo in cervum irruens ante victoris Cæs. statuam.

PHidiaco, viden? hæc hospes sudata labori
Signa? triumphantis Cæsaris instar habent.
Actiacis illum exuvijs, palmisque comantem
Irruere in cervos sic voluisse ferunt.
Carole vixisses, irent tua præda Triones,
Victa catenatis Solibus iret Eos.
Non tibi Cervorum, sed sanguineo ebria bello
Cornua Threycij sideris icta forent.

C I I.

Leones, qui Samaritas cedant.

Pœna comes scelerũ est. en transfuga Numinis horret
Samaris ad rabidas gens male nata neces.
Præcipiti vindex fremit impete turba Leonum,
Unguibus hos petit, hos effera dente vorat.
Parceret Invidiæ mors, agmina Martis Averni
Regius Austriaco sterneret ungue Leo.
Ipsa etiam caderet fœcundi funeris hæres,
Quæ furit in Latiam Bistonis Hydra Lupam.

C I I I.

Ovis quæ Leonem lactat recens natum.

QUæ nova ludentis Naturæ monstra? Leonem
Villoso genitrix ubere pascit Ovis.
Immanesque pati rictus, natumque iubatum

Aufa, vel Oleniæ provocat aſtra Capræ.
Blandior ingenio, vultuque Leunculus arſit
Auſtrius, altrices par habuiſſe Deas.
Maior in hoc Charitum luſus, nam dives honorum,
Velleris hic aurei quot peperiſſet Oves?

C I V.

Cybeles currus Leonibus vectus.

QUadrijugos ubi picta ciet ſub fræna Leones
Impoſitis Cybele turribus alta comas;
Antra ſonant ululata, jugo fremit Ida ſupino;
Inſanoſque iterant Enthea ſiſtra modos.
Quale tibi decus, o Pietas, dum Regius Infans
Subderet ad currus Auſtria colla tuos?
Impatiens aſtrorum, albet quæ ſemita Cœlo,
Lapſa tuis voluit ſubſiluiſſe rotis.

C V.

Nilus exundans ſub Leonis ſigno.

INdomitis rugit dum Solibus igneus æther,
Ocyor æſtivos dum pavet umbra dies.
Aggreditur ripas, & rura per obvia Nilus
Fert hyemes, rapidis fervere major aquis.
O tumeas Sebethe, & Partheneis lacrymarum
Fluctibus extremum vince vel Oceanum.
Regnorum ſeges his conſtet, ſi Regia vibrat
Auſtriades Superis additus aſtra Leo.

C V I.


Hillus Herculis filius, Leo appellatus.

AMphitryoniadæ ſoboles non degener Hillus,
Qui Nemeæa novo terruit antra metu.
Inſignes meruit titulos, famamque Leonis,
Fervidus indomitum vincere laude Patrem.
Par genus Auſtriade tibi, par & fama; Philippis
Si potis Alcides æmulus ire tuis.
Plurimus his ultra Thulen ſe ſe explicat Orbis:
Heſperijs Orbem clauſerat ille plagis.

C V I I.

Pompei ſimulacrum cum Leone pugnantis.


CErne laborato ſpirantem in marmore Magnum,
Quem petit arrecto fatifer ore Leo.
Principis ad mentem, generoſæ hæc ſymbola dextræ,
Doctus adulanti finxerat arte Myron.
Talis & Auſtriades Infans ante ora Philipporum
Arduus, Hiſpani ſpem ſecat Imperij.
Hic Numidis rapere arma, Indis rapere arma pharetris
Viſus, & in Reges eminuiſſe metu.




CVIII.

Timor sub figura Leonis, ex Pausania.

PRodigium formæ! Timor induit ora Leonum,
Quà Lacedæmonio perstrepit aula foro.
Devotásque nocentum animas citat Arbiter æqui,
Exanimis præceps promere fata Reis.
Quantam Erebo cladem Leo voverat Austrius? & quæ
Funera, quæ Mauris busta cremanda rogis?
Palluerat scelus omne. rebellis lubrica Belgæ
Penè sub hoc dederat Principe terga Fides.



EPI-



EPIGRAMMATON

LIBER VI.

I.

Ob expugnata Buda Victoriam omnibus gaudendum est.

INſanite hilares in mutua gaudia Muſæ,
Mox famulum, Cœlo teſte, bibetis Hebrum.
Vicimus indomitæ vi ferrea mœnia Budæ,
Mœnia flammivomum fundere viſa Chaos.
Regalem, Græcamque Albam ſi vincimus, actum eſt;
Aſſeret Auroram Cæſaris una dies.

II.

Ad Auguſtiſſimum Leopoldum Cæſarem ob partam Budæ Victoriam IV. Nonas Septemb.

HÆc ſuperis, hæc bella placent, quæ vindice Cælo
Libertatem Aris aſſeruere pijs.
Odryſiumque Erebum ferro populantur, & igni,
Nequa Quirinalem terreat umbra Fidem.
Victor io Leopolde, potes ſub Virginis aſtro
Hungara jam Dominæ ſubdere regna ſuæ.

Idem

III.

Idem Argumentum.
September Vulcano olim sacer.

SEptembrem, cui cura fuit defendere mensem,
Mulciber hunc vovit Cæsaris auspicijs.
Clauda iterum sibi præcipiti ne fata timeret,
Cæpit & Austriaco cudere tela Jovi.

IV.

Constans per multos menses serenitas in Buda obsidione.

QUattuor in menses Cœlum arrisisse serenum;
Et semel innocua nube pluisse Jovem,
Indulsit superum Genius, nimbosa triumphis
Tempora ne facerent invidiosa moram,
Thracum Luna oculo spectavit cælibe clades,
Candida vel fuso in sanguine. prodigium!

V.

Bis ex vano nunciatum; Budam esse captam.

NUncia bis faciles animos nos Fama fefellit;
Captaque bis mendax fabula, Buda fuit.
Irrita festivis animantur tecta favillis,
Irrita campanis turribus æra sonant.
At dolus in lucrum cessit; plus gaudia rident,
Quæ spes sollicito parturit empta metu.

Ad

VI.

Ad CAROLVM Lotharingiæ Ducem.

SVmme Ducum cęptis ultra majoribus aude.
O quantum augusto in pectore Numen habes?
Threiicii pete spem Mundi, Solymemque Tyranno,
Hæc Generi par est laurea, solve jugo.
Ni Bizantinæ subeant ad templa Sophiæ,
Parta tot auspiciis prælia non sapient.

VII.

Ad Eumdem.

PArva putes Budæ jam diruta Regna Sicambræ:
Non satis ad laudes Pannonis ora tuas.
Res in vota fluunt. Sic Austria Cæsaris Ales
Plus tibi, quam Galli substulit Aula, dabit.

VIII.

Ad eumdem seculo majorem suo.

INferius Te nomen habent, quos Punica tellus
Extimuit belli fulmina, Scipiadæ.
Nec memorat Magnum Pellæi fama laboris;
Nam pudet, haud Palmis scilicet æqua tuis.
Multiplicem aggressus Budæ insuperabilis Hydram.
Dux ades Imperio, miles & ipse manu.
Herculeæ tantum dextræ, cum viceris omnes,
Da veniam, si te dicimus ire parem.

Ad

IX.

Ad Eumdem. de Buda capta.

ORpheus è saxo riguos sudavit in imbres,
Cũ Macedùm in Persam Rex ciet arma Thetin.
In Thraces dum bella tonas, non Orpheus ùnus,
Carole, Threiicio sanguine regna fluent.

X.

Ad utriusque Bavariæ Ducem, recentem a nuptijs, in Budæ obsidione pugnantem.

AVdax res Amor est, densisque uxorius armis,
Nulla cavet Campi fulgura, nulla timet.
Mira loquor; Bavarum per summa pericula Martem,
Vix thalami expertum gaudia duxit Amor.
Insiluit Pęan animis, tędasque iugales
Maluit ignitis posthabuisse globis.
Debeat hinc uni meritos Lucina triumphos;
Vni rivalis gloria semper eat?

XI.

Ad Eumdem Archidapiferum S. R. Imperij.

MAgne propinasti Dapifer si Cęsaris Vrbem;
Altera si ponas pocula, Regna bibet.

XII.

De Tesserarijs Rhombis cæruleis, & candidis Bavaræ Domus.

BOiugenùm si nexa nitent insignia Rhombis,
Quin timeas Regnis Ismara Luna tuis?

XIII.

De Eiusdem Nomine.

MAxima quòd moliris, habes hoc Maxmiliani:
Quod tecum Deus est, Emmanuelis habes.

XIV.

Ad Lotharingium, & Bavarum Duces, ob Budæ victoriam immortales.

POstera Septembres signat quæ fausta kalendas,
Bistoniis cecinit fata suprema dies.
Par aliquid non ulla olim conabitur ætas.
Victa triumphali milite Buda ruit.
Bòius hinc luctantem arcem, Lotharingius Heros
Cominus hostiles contudit inde minas.
Othomanùm quod nũquam armis furor omnibus ausit,
Magna fides, geminos hoc potuisse Duces.

XV.

Ad Eosdem.

ITe Duces, quò fata vocant, atque ardua Virtus.
Vel parvam renuunt publica vota moram.
Austria iam vestris fiducia nititur hastis.
Exigit & vestras iam pia Roma manus.
Victrices Aquilas in Eoum mittite Mundum.
Abluat infantem Tybridis unda diem;
Audendum est: quæ nam vobis non maxima Cælum
Annuat, Indigetes si numeratis Avos?

XVI.

De iisdem
Inter cuniculares flammarum eruptiones intrepidis.

FLammato quà Buda solo vomit abdita Phlegram,
Atque Erebo stragem subsiliente tonat;
Vltrò instant operis, indignanturque timorem,
Audaci hinc Lotharus, Boicus inde manu.
Ambigimus cum tela inter flammasque triumphent,
Utrum plus habeant Herculis, an ne Jovis?



XVII.

Ad Lotharingium Ducem Cæsariani exercitus, & Morosinum Venetum Ducem & Militiæ supremum Architalassum ob insignem Victoriam Budæ, & Nauplia.

SI pomum, & vellus Getico vi rapta Draconi
Buda dolet terrâ, Nauplia victa mari;
Alter & Alcides nobis erit, alter Jason!
Et nova mox Cœlo sidera uterque dabit.

XVIII.

Ad Morosinum Victorialem Heroem.

OTthomanem poteris totum iam vincere Xersem,
Si Veneto pugnant milite Thermopylæ.

XIX.

Ad Venetias de expugnata Nauplia ob aquarum inopiam.

NAta mari, desponsa mari, vallaribus undis
Jamdudum victrix Adria iure tumes.
Nunc maior patriis accedat gloria fastis;
Nam tibi defectis Nauplia cessit aquis.

Ar-

X X.

Arcadia Venetis Armis subiecta.

REddiderint Venetis cum puppibus Arcades Arcton,
Sospita felici sidere Classis erit.
Nobiliore licet Trabeà nunc ire Senatum,
Et pedibus Lunam supposuisse suis.

X X I.

Venetiæ alloquuntur Morosinum ob victoriarum celeritatem præstantissimum.

ROma suum sileat Fabium: mihi restituis rem,
Sed sine pugnaci Dux Morosine mora.
Nil mirum, famulis si victa Pelasgia fatis,
In Mori folium didita, præda tua est.

X X I I.

De Budæ Victoria.

QUæ fuerat diù Lunæ indeclinabile Cornu,
Jam patitur casus Buda subacta suos.

X X I I I.

Fabricius Romanorum coquinarius Polemarchus, Pyrrhi Regis munera despectui habet.

ARdua Fabricij virtus exterruit hostem,
Sprevit ubi Pyrrhi fœdera, sprevit opes.

Sedulus ad foculum vicit, meruitque timeri
Dum manibus rapum scinderet ipse suis.
O utinam Odrysijs Epulum qui funebre regnis
Accelerent, Superi hos dent tibi Roma coquos.

XXIV.

Pindarus Parcas λευκόςολους dixit ex Clem. Alexan. l. V. Strom.

INduit immites cur synthesis alba Sorores,
Quæ cita nent vitæ stamina, neta secant?
Aptior ornaret vel penula concolor umbræ,
Vel ferrugineo nexilis ære chlamys.
At benè habet: miseri tot funera vivimus ævi,
Possit ut in votum transilijsse, mori.

XXV.

De Caio Fimbria Oratore turbulento & præpostero, qui maximis clamoribus utebatur.

CAius fulminea cum Fimbria voce tonaret,
Et vomeret rauco Thyadas ingenio;
Inter Causidicos ad Romula Rostra disertos,
Insano stupuit Tullius esse locum.
Mens Oratorem facit, & lex æqua Decori.
Blanda sonat Suadæ vox, ubi Lex loquitur.
Lentus alit segetem, tacitè si decidat imber;
Si violentus, agros perdit, & agricolas.

XXVI.

Ad Federicum Meninnum Jatrophysicum & Poëtam reconditæ Eruditionis.

Iussit Alexander ditissima Persidis Aulæ
 Mæonij tegerent scrinia Vatis Epos.
Ipsum cor Charitum, meritæque tuba aurea Famæ,
 Ut tua diù servent carmina, signat Honor.

XXVII.

Ad Lausum, Lanæ Pinnulæ donum.

Pileolum dedimus Pinnali textile lana,
 Quo tegeres brumæ tempore, Lause, caput.
Calceolos etiam dabimus, nisi forte reposcas
 Debilior stomacho, Lause, maris Soleas.

XXVIII.

De Sossilo malignè suspicioso.

Quidquid per nebulam obliquè, rimamque tuetur
 Stultividus, nigro Sossilus ungue notat.
Arguet immersum Bromio, si pharmacon hauris.
 Tanta oculos vitiat sordida lema suos.
Vivere juravit nostris in sedibus Orcum,
 Quòd picta Lemures viderit in tabula.

XXIX.

Liberalitate non effusè utendum.

ARs eſt , munifici modus Decori,
Non præceps Genius Potentiorum:
Ne larga nimiùm manu profundat
Ultrò divitias ; ſimulque totum
Cenſum exhauriat , Aulicis fluentem
Acclamantibus impetum Dynaſtæ.
Immanemque pecuniam , aureoſque
Fortunæ vomitus , in Hiſtrionum,
Scurrarumque ſitim , tumultuoſo
Æſtu gloriolæ in diem det unum.
Laſcivis male vitibus ſuperſtes
Incumbit macies , & hauſta fæcem
Multis Dolia fiſtulis propinant.
Qui rem prodigit , hic ſibi jocatur
Lautæ Prodromus eſuritionis.

XXX.

Quæ optima Principum Adminiſtra.

ET Solij comites voluit, Rectique ſequeſtras,
Hinc Themin,hinc Legum Juppiter Eunomiam.
Non aliter Regnis Pax, & Fortuna perennant:
Horrea ſic Populo , ſic calet Ara Deo.
Publica res votum hoc felix appendat Hygię;
Ne latera ægra ſui Principis indoleant.

XXXI.

De aurea Callimachi Lucerna.

CAllimachi ex auro lychnum, ſacrumque Minervæ
Garrula divinum prædicat Hellas opus.
Quippe oleum numquam niſi lapſo abſumeret anno,
Uber inexhauſti luminis ingenio.
Nunc quoque fictilibus brevis eſt annona lucernis;
Nunc quoque lux, ſi plus aurea, plus vigilat.

XXXII.

Roſa Paſſionalis, vulgò Granadilla.

FUneream paſſi ſcenam qui pingit Amoris,
Mexicus o quantum Flos pietatis habet!
Vincla virent, dumique, atque aſpera lora Columnæ;
Ipſa virent fixis vulnera claviculis,
Ah pudet: Auſonijs Tulipæ dominantur in hortis,
Diſcolor hibernis aut Anemona comis.
Una memor Solymùm, & vitalibus ectypa pęnis
Chloris amans, ſibi vel barbara, Numen alit.

XXXIII.

Extrema ſenectutis incommoda.

QUam verè Antiphanes gravem ſenectam
Aram cenſuit omnium malorum!
Vitæ intermorientis obſoleti
Tabeſcunt animi, vigorque mentis;
Et crudæ macies haruſpicinæ

Myſtes, aſſiduo litat dolori.
Adde inſomnia, ſenſuumque cædes.
Lippos nox oculos premit diutna;
Et ſurdo mala pituita viſco
Aures obſtruit, & putres placentas
Suſpendit gelido caduca naſo.
Quid narrem oris edentuli ſalivam?
Cum nec mandere, nec vorare poſſit,
Quin arctæ timeat gulæ Synanchen.
Tuſſim prætereo moleſtiorem;
Et teſtudineos pavens ad ictus
Nudum Calvitium; artuumque nervos
Diſſutis propè fibulis trementes.
Squalent & ſpecies ſcieutiarum,
Quas morſo vigil ungue tot per annos
Certatim labor hauſit ad lucernam.
At mirvm ſimul, abſordumque dictu,
Hæc ætatula moribus piandis,
Curandæque animæ aptior videtur.
O præpoſtera vota! flos juventæ
Obſcœnis teritur ſacer popinis,
Virtuti ſilicernium paramus.
Nec lapſam pudet inchoare vitam,
Dum vix ſemihomini vacat perire.

XXXIV.

In Muſtium faſtuosè inſolentem.

Cui rus obiectes, patremque, ſocrumque Menalcā,
Et ſparto inſutas caligas, olidumque cucullum,
Muſtius, ex fatuo ſe ridicularius uſu
Hinc circumſpicit, inde ſuperciliumque ſupinat.
Inceſſu criſpante, gradum ſimul urget, & hæret;
Appia

Appia nec capit inflatum, Regina viarum.
Mente etiam tumet; & glebis modo natus Jason
Sciscit jura foro, raucæ μεγαλέμπορ☉ Aulæ.
Unde tumor, dicam. Microscopio utitur, in quo
Et sua, seque videt galeato in tubere fungum.

XXXV.


De Brassica florida.

TRansijt ad Procerum lautas quoq; Brassica cœnas,
Florea cyrratis brassica protoromis.
Hem! ne pauperibus viles nascantur & herbæ,
Nobile jam pretio ganea fecit olus.

XXXVI.

Ad Charinum militandi avidum.

SIm quamquam Empyricæ rudis palestræ,
Nec fumariolis nigrescam, & ollis;
Cum te gloriæ amor periculosam
Ad belli vocet aleam, docebo,
Possis unde, Charine, martiales
Præstò educere spiritus: ab auro,



XXXVII.

Ex Astrologorum placitis, monitum Pudicitiæ.

CUm Venus accedit nascentem proxima Cancrũ,
 Eliquat in pluvias nubila signa minas.
Innuba spiciferæ signum si Virginis intrat,
 Lenè serenatum ventilat aura Jovem.
Credimus Astrologis; nec opus rimante Dioptra.
 Quæ lasciva, putrent; quęque pudica, nitent.

XXXVIII.

De Sextilo ineptissimè ridibundo.

SEria cum loquimur, cum vel mœstissima, ridet
 Sextilus, insulsi Scimia Democriti.
Si poscas aliquid, risu respondet opimo:
 Si moneas, albis dentibus hinnit idem.
Sępe jubet Socios tremulis salvere cachinnis,
 Et putat hos lepidis moribus esse sales.
Ingenium, ni fallor, habet Diaphragmate septum;
 Et fluit e cerebro splenica vena suo.
Quamquam ægris leviora creet deliria risus,
 At sanis, mentis funera risus olet.

XXXIX.

In Rullium ex opulento Cive mendicum Nobilem.

EX quo Nobilium locuples conscriptus in albo est
 Rullius, exhausta cæpit egere penu.
Dives privato jam vixerat ubere censu;

Nunc

Nunc miser in fastu paupere friget Eques.
Quàm vereor ne non titulo tabescat inerti,
Prudens Seianum ni citò vendat Equum,

XL.

Carolus V. Imperium abdicat.

CLarior abiecta Sol hic Retrogradus Aula.
Respuere Imperium plus est, meruisse minus.

XLI.

Vlysses Polyphemum interfecit monoculum.

FUlmineum solers ferijt Polyphemon Ulysses:
Consilij feritas indiga, victa dolo est.
Bina juvant, Vis, & Ratio nam luminat: grandem
Frustra oculum pugnax prætulit, unus erat.

XLII.

De Vanda Poloniæ Regina, quæ se in Vistulam flumen demersit.

TAm mala præcipitē potuit mens vertere Vandam,
Ut felix etiam mergeret Imperium.
Usque adeò miserum est, nil amplius esse quod optes
Fortunæ arbitrio; plurima, quæ timeas.

X L I I I.

De eadem.

CLœlia cede minor. patuit tibi turpè timenti
Servitium, ad tacitam Tybridis unda fugam.
Vanda potens populorum, Aquilisque evecta Polonis,
In sua flumineo funere fata ruit.
Hic virtutis apex: ne perderet innuba Regnum,
Incolumem casto velle perire thoro.

X.L I V.

De eadem.

VAnda quod in rapidum præceps sese impulit amnē,
Non furor, at Regni funera suasit Amor.
Audiat immiti quamquam temeraria voto;
Magnæ plenam animæ sæcula nulla negent.

X L V.

In illud cap. 13. *Iudith & percussit bis in caput eius.*

NOn semel illusum Bethulidis ira puellæ,
Sed bis inflicto messuit ense caput.
Alter sævitiem eluit ictus, & alter amorem;
Debuit in geminum vulnera bina nefas.
Cui scelerum cervix Holophernia turget, in unum
Non satis est feriat si Metanoea diem.

Ami-

XLVI.

Amicum monet de prono oculorum lapsu.

NI cautè obvertas oculos, invitus amabis:
Bruta animæ pars hęc nęctit, ὁρᾷν, & ἐρᾷν.

XLVII.

Ad Federicum Meninnum Medicæ, & Poëticæ Artis scientissimum.

SI quis fortè tuos latret libellos
Ingratissimus, invidissimusque est,
Federice, nitent utroque Phœbo.
Seu ludens Veneres, Cupidinesque
Blandi per juga culta Pausylipi
Ad myrtum allicis integrè pudicam;
Seu Pindi nemus, inviæque Cyrrhæ
Carpis Pæonio vireta plectro.
Naturæ solium vel imperantis
Monstrosam genesim, trucesque morbos;
Vel miracula mima fabularum,
Aggressus lyricen, metro alligasti
Quę numquam chelys ausa doctiorum.
Succis te Charitum novis, suoquè
Implet Pallas anhelitu canentem.
Hanc cum luseris aleam, triumphi
Jus, io! tibi Fama debet uni.

XLVIII.

Ad Eumolphum, quem Advocatum in litibus velit.

LInguà eruditum, induſtrium,
Memorique mente ſtrenuum.
Ad undecim uſque clepſydrat,
Eumolphe, Principem fori
Cenſes Patronum: falletis.
Ille optimos ſupra mihi eſt,
Qui cauſam agat, nec exigat.

XLIX.

Ad Philomelum.
Innatum cuiquam in renibus ex pituita vitrea margaritum. ex Rondelet de Teſtac. c 35.

POrtentum. Natura inopem molitur Erythram;
Ex quo hominem vitiat ditior, ægra magis.
Denſa ubi nam gelido concreſcit arenula tabo,
Vitreus & renes lancinat humor acu;
Verſilis in gemmam riguit pituita nivalem,
Qualis in Eoo carpitur uda mari.
Hoc pretium ne malis? albo, Philomele, lapillo
Mors quoque fatales ſignat avara dies.



L.

Bisextilem Annum 1688. Neapoli fatalem ob Terræmotum queritur.

ANni intemperiem dolemus omnes,
Siccam passi hyemem, rigente bruma,
Ver Austris tumidum, imbribusque mersum.
Æstatem Medici febriculosam,
Et nigram tunicam minantur ægris.
Heu quantis premimur malis! hiantes
Nam spectavimus in sepulchra terras,
Mortemque ante pedes: ubique luctus,
Et terror. nihil est in urbe tutum.
Rimis saxa crepant revulsa, & Aræ
Fecerunt vitium; piacularem
Ulciscente Deo fidem, & profusam
Sentinam scelerum. Pudet fateri;
Inter præcipites adhuc ruinas
Lascivire vacat: procax in ipsis
Fatorum Venus excubat lacunis.
Ut mos est pueris per angiportus
Ictis ad numerum ossibus jocari.
Væ, væ Parthenope tibi, tuisque.
Pœnæ immane genus, miserrimumque est,
Peccare admonitam, imminente & Orco.



Bal-

L I.

Baldus Juriſconſultus, in labro morſus a catella, quam in delitijs habebat, quartum poſt menſem in rabiem actus, obijt.

IUriſconſultæ celeberrima gloria Sectæ
  Baldus, & in gemino maxima fama foro,
Suaviolis mulcet tepidis dum forte Catellam,
  Senſit ſub tenero dente latere necem.
Latravitque diu rabido lymphaticus æſtu
  Delicium ipſe ſuum, ſupplicium ipſe ſuum.
Quis vocet in jus Fortunam? monet illa peritos,
  Abſtineant brutis oſcula, ne pereant,

L I I.

Ad Moſchum ſemper ſecretò inſuſurrantem ad aures.

SEcubitum quæris, ſi quid mihi Moſche ſuſurras,
  Reris & hoc fidæ pignus amicitiæ.
O utinam muſcas ſemel experiaris amicas;
  Ut tandem ſurdis auribus invideas.



Auri-

LIII.

Aurifex Memphis, pulicem aurea illigavit catenula, lautè muneratus a Populo. Leontius de Reb. Aphric. c. 8.

ASsurge tamdem Nile: non Bovem Memphis,
Sed efferatum, sanguinis avidum monstrum
Devinxit auro nexili catenatum.
Horresco referens: vincla Pulicem torquent.
Auxere Populi muneratio censu
Victoris artem, vos Lares Togatorum
Spectaculum hoc non invidetis Ægypto.
Minutiores Plebis infimæ lixas
Aut capite crux, aut fustuario plectit.
Quæ nassa furacem angit ulla Pistricen?
Aurata Legum lina vinciunt Scombros.

LIV.

In Hispaniola vix unum peponem ferre quis potest, ex Oveto Sum. Ind. c. 81.

NIl Hispaniolæ pepones admirer obesos.
Turget enim insulsis typhos in ingenijs.

LV.

In Cestinum liguritorem, & inexpleta gula.

PRansus adhuc inhias epulis Cestine secundis,
Et pudor est, saturæ prodere vota gulæ.
Ocyus hæc mussas mittenda, & laudibus effers;

Et

Et fuerant cœnæ dignius illa caput.
Lingere amas digito ſparſos in fercula flores.
Ureris. O age dic fortiter, eſurio.

L V I.

In Impoſtorem Gorbylum.

PLurima promittis, vultuque in verba diſerto,
Secus ais mendax Gorbyle, ſecus agis.
Eximium morum mangonem, aut ſphynga vocarem,
Sed quis ad ambages Oèdipus ille tuas?
Ludebant, cum natus es, unco hinc Scorpius aſtro;
Cancer & obliquis inde fugax radiјs.
Si jurato aliquid tibi fas eſt credere, jura
Vivere te vivam Gorbyle decipulam.

L V I I.

Quo die capta a Venetis Athenæ, Templum, quod ſuperat Palladis,, conflagravit.

EFfera ſaxificæ quæ vicerat ora Meduſæ,
Saxea pulvereo fulmine Pallas obit.
Quæque tridentiferum Neptunum eluſit oliva,
Materiem flammis præbuit ipſa ſuis.
At felix iterum doctis naſcetur Athenis,
Si Venetis reddant Gnoſſia regna Jovem.

Ad

LVIII.

Ad Philotimum pendente diu lite anxium.

UT tua bisdecimos anceps Philotime per annos
 Lis labyrinthęis enatet acta vadis,
Non Thesei filo sese alliget anchora: circum
 Nauticus aurato e vellere funis eat.

LIX.

Ad Amillum, ut sua carmina corrigat.

TAntùm exscripta, nec expolita torno
Hæc pręludia mittimus; severas
Multis fige notas Amille mendis,
Si vel disticha longa, vel Decembri
Frigescunt male siderata vultu.
Fastidis operam, otiumque nostras
In nugas terere abnuis? valete
Ergo Pierides, valete: lessum
Supremum recinam: metus, pudorque est,
Cordylis, tunicamque, scriniumque,
Et tentoriolum parare blattis.

LX.

Asparagum crevisse in crassitiem, & longitudinem Indica canna. Strabo lib. 17.

AGricolæ in vepribus quidni jam gaudia quærant?
 Asparagus Brasilis certat arundinibus.
Obduremus ad hæc miracula rustica Terræ;

Si decus hirsutis dat mora longa rubis.
Altiùs excrescit Virtus obnoxia duris;
Major & in sterili gloria sæpe loco est.

L X I.

Ad Gallicum.
De Neotericis
qui litteris nihil sanantibus vacant.

INgenijs labes paulatim irrepsit acutis,
Ethica Partheniæ spernere sensa Lyræ.
Ad pueros mittunt levioris poma salivæ,
Quæ pia ter magno Biblia Sole nitent.
Evoluunt arcana Arabum, magicamque mathesin,
Fœda vel Idaliæ carmina nequitiæ.
Chartesium, Boylemque, & olentes sulphura libros,
Si tumeant atomis vermiculata, legunt.
Quin Molinææ lambunt omenta popinæ;
Fartaque Calvinis ventribus esca, mel est.
Cumque scholæ potius, quàm vitæ discere certent,
Multa sciunt, fateor Gallice, nil sapiunt.

L X I I.

Sub imagine Judæ Iscariotis.

CUncta vorax lupus hic, Agni post liba dapalis,
Vel Pastorem ipsum proditor esurijt.

De

LXIII.

De sacrilega multorum in Templis irreverentia.

CUm Mystæ faciunt, & Numinis Hostia Magni
  Ipsa etiam Superùm vota, oculosque rapit;
Sunt qui nec caput inclinent, fixique superbo
  Vix tumida obliquent colla supercilio.
Ad Veneris tantùm se pulvinaria flectunt,
  His brutam quis non juret inesse fidem?
At scelus invisum hoc pecudi Præsepia clamant.
  Relligio docuit prona Bovem, atque Asinum.

LXIV.

In Cæcum & maledicum conviciatorem.

QUamquam oculis captus, linguæ non desinis. esto
  Mille tumens Momis, dummodo nil videas.

LXV.

Ad Varum de Nævolo Ludimagistro, qui φιλοτάριχος non nisi salitas epulas appeteret.

SIccam innasci animam sapientibus Heraclitus
  Censuit, & crassum pinguibus ingenium.
Nævolus hinc doctæ quærens compendia Famæ,
  Siccantem obsonat sedulus usque salem.
Exterebrat digitis ad fercula quæque salinum:
  Nec satis ad gustus una Salina suos.

Poma salit, quamvis acido pollentia succo;
Omphacinas uvas, mespila, sorba salit,
Sectaque rancidulis etiam salit ilia thynnis;
Et pulpam veteri de petasone salit.
Lautior in Neptuno, non in Apolline cœnat:
Sic alijs salsus, sic sibi salsus homo est.
Desipit at Salacon: Salomon si forte videtur,
Ex facili dabimus, Vare, sed in patinis.

L X V I.

Zeuxis, dum deformem vetulam a se graphicè depictam miratur, effusissimo risu obiit.

PInxerat ad vivum ingenti conamine Zeuxis
Canitiem Vetulæ, deciduasque genas.
Stillabant oculi tabem, frons hispida rugis;
Centum Hecubis vultu par erat una suo.
Splen crepuit, dum ridet opus, turgente cachinno;
Effususque abiit spiritus in tabulam.
Nunc alijs patet Ars fatis; cùm Taidas ornat
Nuda coloratas, enecat Artificem.

L X V I I.

De minuto ornamentorum Choragio, quod Hispani Escaparates, Itali Carabattole vocant.

ILludit quæ lena oculos angusta supellex,
Induat ut nullis usibus apta lares?
Ne sua fœmineo desint compendia Mundo,
Hoc Procerum jactat stulta Mathesis opus?
Arte laboratas tenui sub pegmate gazas,
Quò magis alliciant, Adria vitra tegunt.


In-

Inspicere est argutiolas tornatilis auri:
  Tuberaque,& glandes, Perua gleba, tuas.
Germinat insertis & villula culta smaragdis:
  In tulipæ cinnos mimula Chloris hiat.
Quàm varias simulant segmenta corallina nugas?
  Alveolos, abacos, fercula, cultra, scyphos.
Quidquid & in torno ars Myrmecidis audet eburno;
  Quidquid in exiguis Belgica lima typis.
Enceladum nam sæpè adamas angustat in artus;
  Ignea sæpe crepat gemma Vesuviolum.
Nautæque, aurigæque (mora est si singula narrem)
  Succina dant currum, murrhina sculpta ratem.
Census in hos Genij struices impenditur; & quæ
  Ludrica sunt pueris gaudia, fastus emit.
Te pudeat tamdem Natura, quòd æmula certet
  Luxuries etiam tota vel in minimis.

LXVIII.

De nimio nivium abusu.

NImbisonas Boreæ lacrymas, brumamq; decembrem
  Mancipat æstivis ganea delitijs.
Excipiunt depressa hyemes hypogèa rigentes;
  Et tegit infossam sessilis umbra nivem.
Nulla gulæ venia est; uni si debeat Orco,
  Candida quæ Cæli ex ubere dona pluunt.



LXIX.

Otho pane madido solitus faciem oblinere, ne barbatus umquam esset.

LEvis ut imberbes Princeps Otho transigat annos,
Nititur humenti tergere fruge genas:
Et ne glabra pilis ori seges horreat hirtis,
E tritico subigit mollior offa cutem.
Falleris o demens: bene te Proserpina novit,
Cui salit in faciem sępius uda Ceres.

LXX.

Ad Annibalem post Cannensem pugnam fastu inflatum.

FElici quid Marte tumes? qui sanguinis index
Annulus est, Fati versilis omen habet.
Quamvis ad Cannas Romanum viceris hostem,
Scipiadæ Libyam vinciet una manus.

LXXI.

De Aurilli sordidè avari Chiragra.

CHiragra in Aurillum quid ni furat acris avarum?
Intortis reditus supputat articulis.

LXXII.

Hortatur Vrbicum ad animi culturam.

URbice ne censum properes impendere Villis,
Exuit hic Dominos, induit agricolas.
Felix ut vivas, edisce Georgica morum;
Qui sibi vult litem cudere, prædium emat.

LXXIII.

Gerontomania.

INsanire Senes docet experientia. Sunt qui
Sæcula derugant, canitiemque nigrant.
Impatiens caret erosis qui dentibus, offas
Nec molitas rictu præcipitante vorat.
Non unus trepido stadium decurrere gressu
Audet, & in grallis Hectora claudus agit.
Quin etiam plaudunt ad musica gaudia surdis
Auribus, & numerant sidera Cæcilij.
Vatrus at insanos præit insulsissimus omnes,
Centum post hyemes consulit Astrologum.

LXXIV.

Ad Lollium non nisi vino madidum poëticis vacantem studijs.

CArmina plus salso conscribis acumine Lolli,
Ebria cùm tremulis crura labant pedibus.
Valerium Potum, si sęcula prisca redirent,
Credat adhuc fastis vivere Roma suis.

LXXV.

Ad Callistratum Procuratorem.

NE vivam si te stolidum Callistrate dixi,
Erravit duplex syllaba, stoicus es.
Et baculum,& peram præfers;hæc muneris illex:
Si nihil emungas litibus, ille minax.

LXXVI.

Ad Amicum.

VItrea cur Flacco dicta olim Fama,reposcis:
Mendax hæc hominum respicit in faciem.

LXXVII.

In Vrsulum Philosophum bibonem, & Metricæ Artis imperitum.

DErides Metricæ leges, & dolia potas;
Et tibi vocalem littera muta sonat.
Quæ brevibus gaudent,longo producis hiatu;
Potanti metus est,incidere in brevia.
Desipis arbitrio, ferulæque obnoxius audis:
Ursule quid tendis bibere? prima brevis.



Di-

LXXVIII.

Divus Stephanus Levita,

Anag. purum.

En vivus lapidatus est.

NOmen Coronis inclytum,
Ostroque onustum Sanguinis,
Quàm bene triumphales notas
Interserit pœnis suis?
Inversa tantùm grammata
Lege. Vivus en lapidatus est.

LXXIX.

Post Neapoli terramotum, e puteo densissimus fumus, ob viciniam speluncæ, in qua paleæ combustæ, terrorem incussit.

Exilijt præceps puteali e margine nubes,
Et propè fumosis Vesuius arsit aquis.
Panicus hinc animos timor obruit, & nova cladis
Tentamenta, nigro surgere visa chao.
Scilicet hæc signant Terræ præludia motum,
Ebria cum multo sulphure gleba tumet.
Imposuit stipulis at proxima flamma perustis,
Contiguum fumo subter hiante specum.
Heu nimium miseri; non solùm vera dolemus
Funera, sed vacuis irrita fata minis?

De

LXXX.

De pupillari ætate.

SIc est. Causidicos cunis pupillus in ipsis,
Cum sua res raptim mungitur, orbus alit.

LXXXI.

Rosa aurei coloris, & ingratissimi odoris.
ex Matthiol.

FLava Rosis facies frondoso concolor auro,
Nullus ubi rubor in germine, fœter agris.
Loricæque, Togæque etiam decora empta profusis
Divitijs, quamvis aurea sint, male olent.

LXXXII.

Hieronymus Cardanus Medicomathematicus pravisam ex themate natalitio sibi mortem acceleravit.

CArdanus ne latum unguem ultra excederet ætas
Quem sibi fatalem scripserat ante diem;
Eripuit Lachesi nondum damnabile pensum,
Fatidicam præceps asseruisse fidem.
Ergo deficiens potu jejunus & esu,
Ipse sui lessum funeris esurijt.
Astra quid in Genesim, & Mortem Ars insana lacessit,
Una fames certos si facit Astrologos?

LXXXIII.

Ad Eumelum nimio Algebræ studio insanientem.

ARtis arithmeticæ vestigans Eumele fontes,
Quò recidis fato vindice, mentis inops?
Ingenij miseret. Nihil infelicius illo est,
Cui numeros inter defuerit ratio.

LXXXIV.

In Jo: Sturmium e Calvini calculis erutum, qui novam sectam appellavit, mediam viam.

SCurra ædilitius, calvi collega magistri,
Per mediam docuit Sturmius ire viam.
Nempe per àëriam; qua quis stultissimus ibit,
Transfuga nil Fidei, plus Phaetontis habet.

LXXXV.

Cœna quæ ferebatur ad Neronem, tacta fulmine conflagravit. ex Dion.

DApsilis ad rabidum properans cur pōpa Neronem
Disperiit subiti fulminis hausta rogo?
An quia Troiugenæ spectans incendia Romæ,
Debuit ardentes extimuisse dapes?
Innuit an Cœlum, cineri quod proxima fumet
Ganea, regnorum si magis urat opes?

LXXXVI.

Ad Alcimum verbosæ liberalitatis.

* A lata manu,

VErba facis locupletia. Mihi gratius Alcime donum
Vel breve, si græco nomine δῶρον erit.

LXXXVII.

Castissimus Joseph impudentem Dominam fugiens, pallium dimisit, ac maluit cedere, quàm cadere.

LAscivientis pellicem
Exosus impudentiam
Castæ Josephus indolis,
Fuga periclum diluit.
Non philtra Dominæ, non preces
Movere; vestem a se procul
Amantis infectam manu
Abiecit, & contagium.
Sacra Pudoris in schola,
Qui pallium exuit, sapit.

LXXXVIII.

In Enniam in extrema ætate nuptias appetentem.

LUsca oculis, ascititio male compta capillo,
Ennia, jam vitæ turpe Cenotaphium.
Cum peteret tædas iterum nuptura maritas,
Hispida ne macidam ruga notaret anum;
Exhibuit sese pictam multo ante puellam:

At-

Atque ait, hæc formæ testis imago meæ.
Stultitiam hanc uni non est ut deprecer. annos
Mentitur fictos fœmina quæque suos.

LXXXIX.

In Turbulum otiosa Hectica laborantem.

ÆGer es in speciem; si quid res poscit agendum.
Morborum subitam despuis illuviem.
Lubricus ad nugas verbosæ insistis arenæ:
Seria si revocent, Turbule te retrahis.
Ut verum fatear, Flaccus Pomponius in te
Ad crisin emoti commigrat ingenij.

X C.

Ad Rebellum.
Patientia in adversis Virum probat.

VImque, modumque tui disces in facta Rebelli,
Omina Fortunę si nigra ferre potes.
Lentescens in fila micat dum tunditur aurum.
Tunde vitrum summo pollice, dissiliet.
Sic vel te la inter sese explicat aurea virtus:
Sic vitreę mentes dilacerantur acu.

X C I.

Flos in Carduelis forma pictissimus.

PEnnigeri, quis credat? habent & Acanthida vepres,
Vitricus argutam flos sibi adoptat avem.
Quamquam nulla sonent frondoso Idyllia rostro.

Ex-

Expectes tamen e germine metra suo.
Naturæ jocus hic sciolos deridet inertes,
Qui simulant fatuo in stipite Luscinias.

XCII.

In Sardum Veteratorium vestium Propolam.

Extritam senio Endromidem, tineisque benignam
Sardus ut investem vendidit atque novam.
Mox ubi mendacem ac periurum incesseret Emptor;
Verius est vero, inquit, caret illa pilis.

XCIII.

Ad Largum militem ignavè timidum.

OMnia cum timeas, pietas in milite summa est,
Large caves Matrem posse dolere tuam.

XCIV.

Phylliris herba, cur Lingua dicatur.

PHylliris irriguos vegetat prope florida fontes,
Hinc Linguæ nomen, quam bene! ne sitiat.

XCV.

Theologum D. Thomæ Aquinatis votum.

NOn nisi te Domine. O votum laudabile Thomæ!
Omnia si des, nil omnia sunt sine Te.
Fac aliud peteret, male sic scripsisset. ab ipso
Nempe Deo, Deum amant poscere qui sapiunt.

Ad

XCVI.

Ad Æquenſem Antiſtitem D. Franciſcum Verde Inſulatam doctrinarum lucem, Civilis, divinique juris conſultiſſimum.

INvitum & refugam annuente Cœlo
Sacra te Trabea induit, Myτraque
Et Lex, & Pietas onuſta magnis
Doctrinæ meritis: ſed æqua vellet
Æquenſi tibi major obtigiſſet
Sedes ad Fidei decus Quirinæ.
Nam vitæ revocas jubar ſeveræ,
Priſci moris opus; potens diſertum
Exemplis Baſilion æmulari.
Ornas Pauperiem, rudique cultu
Pomparum omne Choragium perhorres.
Cœnæ fercula Codicum piorum
Condit lauta fames; aguntque turbam
Virtutes famulam, integrumque cenſum.
Non decerpis ab Inſulis honorem;
A Te dignius Inſulæ Vireſcunt.

XCVII.

Heliogabali ſe præcipitem daturi apparatus.

DEdecus Auguſtæ & tumor inſaniſſimus Aulæ,
Fœda ſui Cæſar nominis antiphraſis;
Cum ſibi vim periturus & improba fata timeret,
Dementi cautos lenijt arte metus.
Sericeos funes, & cocco tortile ſpartum,
Ad nodos facilem nexuit in laqueum.

Con-

Concinnoſque acuit gladios, auroque micantes;
Aurea ceu jugulo mitia tela forent.
Peſtiferam Colchim, ſubitis fartamque venenis
Sculptilis in nitida pyxide clauſit onyx.
Extulit & pictam ſumma in veſtigia turrim,
Cui ſuberat ſtrato plurima gemma ſolo.
Hæc ſibi molitus pretioſa crepundia lethi
Stultus, & has miſeri funeris inferias;
Carnifices meruit Scurras, taboque cruentum
Sordida limoſo ſorbuit unda Tybri.
Quin reſidem legeret cineris ne fama favillam,
Abnuit immundis Manibus ulta rogum.

XCVIII.

S. Oceanus M. in ignem coniectus.

DEſpuit vecors odio obluctante Tyrannis.
An rogus exhauſtum abſumeret Oceanum.

XCIX.

Ad Eloru Hierodulum, Catellulæ indecenter amaſium.


SUbſilit argenteis quæ nexa Lyciſcula bullis,
Famam, ſi neſcis, mordet Elore tuam.

C.

De Diphilo
ex Poëta, clepſydrarum opifice.

CArmina jampridem recitabat Diphilus; at cum
Clepſydras cæpit fingere, non recitat.

EPI-



EPIGRAMMATON

LIBER VII.

I.

S. Ignatius Loiola S. I. Sator, & Parens, ad Christum ab Hispana militia sanctissimè deficit.

DUm regit obsessam Dux Loioleius Arcem,
Unus ubi est hosti murus, & una mora est;
Saucius explosi vi fulminis, & pede claudo,
Cogitur adverso dedere Marte forum.
Fortunæ invidiam fausto sed vulnere risit:
Cæpit enim Cælum vincere, cùm cecidit.

II.

Idem trigesimum annum natus ad elementares pueros se discenda grammatica demittit.

CAmpi Magister, militumque Dictator,
Ogniadum Avorum oblitus inclytos Fasces
Loiola, ferulam & litterarium ludum
Subire potuit, semilixa verborum,
Nec segnis hæc arena. Se rudem vicit,

Victuras arces hæresum, & Erebi Stoam.
Quod nam minerval & sibi, & suis, Cælo
Plaudente meruit? Unum, & alterum Mundum
Binis Jesu syllabis sacrum Romæ.

III.

De ejusdem dicto, quàm sordet terra, dum Cælum aspicio.

LOiolæ quàm Terra fimo sordescit inani,
Candida dum superæ prospicit astra plagæ?
Felix, o nimium felix, quem lucis amantem
Divinæ, Astrologum sidera sic faciunt.

IV.

Idem elatus scintillantibus ad sepulchrum stellulis.

QUæ vitæ Genesis nova funere surgit ab ipso?
Quæ natalitio mors parit astra rogo?
Conclamatus adhuc Ignatius ardet, & urnam
Stellifer æthereis ignibus ambit honos.
At potuit facili subducere sidera Cælo,
Qui tot viva dedit sidera Cælo, Animas.

V.

De eodem.

QUantus erat meritis Loiola, en iudicat æther.
Jacturam redimunt sidera, quantus erat?

V I.

Marinus Cancer patientem in Cruce Servatorem undarum vi raptum Xaverio restituit.

AStronomis jā danda fides. COLIT INDIA CANCRUM,
Saberio mersum reddidit ille Deum.
Memnonis o relegat sic sponte retrogradus undas,
Fida erit æterni pronuba Solis Eos.

V I I.


Effigies mortui reviviscentis in tabula S. Xaverij.

MOrtuus ut reduci sub imagine spirat Japon?
Penè micat picto in funere vita duplex.
Reddita luminibus sunt lumina, redditaque ori
Ora, genis aliæ prosiluere genæ.
Tantum audet pictrix solertia, pendula mens est,
An sit Saberij maior, an artis honor.

V I I I.

Idem.

PRodigium viden? e tumulis exangue cadaver
Vitalem ad lucem linea & umbra trahunt.



I X.

B. Aloysius Gonsaga in margatifera Concha.

INdulgentem oculis Gonsagam, & dulce gementem,
Exprimit exuvijs cærula concha suis.
Et nitet,& lacrymæ sunt divitis omnia filus,
Et gemmas gemini luminis unda parit.
Non ita Luciferi quà depluit imber Eoi
In bacchas Tethys germinat Inda novas.
Qualis erat,vivo fluerent cum lumina fletu,
Si dum ficta fluit lacryma , gemmeus est?

X.

Idem in Narcisso depictus.

MOllis ubi ridet tenero Narcissus hiatu,
Et verno madidas explicat imbre comas.
Loisiden rupta sub amœni germinis alvo
Pinxit Apellæo dædalus arte labor.
Hac si spectasset iuvenem sub imagine formam,
Flos hic fatales non timuisset aquas.
Pellice vel lymphæ vitro deceptus euntis
Isset in aligeri Cælitis ora reor.

X I.

Idem calcaribus sibi latera compungebat ad velociorem virtutis cursum.

DEntatis Gonsaga latus calcaribus urget,
Æreaque innocuum purpura tingit ebur.

Ne

Ne ruat in præceps, aliis opus adstite fræno est,
Castior huic stimulis acta juventa sapit.

XII.

Ad eumdem.

FIgis echinato quid membra tenerrima ferro?
Non hæc Virtuti debita pœna tuæ est.
Sed dum Regna fugis; levia hæc tormenta videntur.
Qui regnat, multo pungitur ille magis.

XIII.

Idem Argumentum.

QUid calcar imas Dive per costas agis?
Nimis citato curris ad Cælum gradu.
Sed adde stimulos, adde mucrones novos;
Ad astra, numquam ad astra properatur satis.

XIV.

Idem curru vectus, in flumine periclitatur consternatis equis.

COntrahe lora manu: quò te rapit impetus undæ
Minciade? cautà contrahe lora manu.
Spumeus en vortex rapit esseda; præcipitemque
Turbinibus te te naufraga fata premunt.
Surdus ad hæc, renuit Quadrigam sistere. Num qui
In sua fert stimulos ilia, frænet equos?

X V.

Honoraria Hermæ
in solemni votorum instauratione
a Theologiæ studiosis.
B. Aloysio Angelorum Symmystæ dicata.
Ex Lydio lapide.

EXplorator opum, & Naturæ divitis index
Fingit Aloysij Lydius ora lapis.
Vota facis quicumque, tuæ vitium exue mentis.
Vota notat lapis hic subdola, vera probat.

X V I.

Ex Ceris.

DIve, laboratæ mollissima munera, Ceræ,
Ductilibus certant te simulare typis.
Non Hyblam populata, aut florea germina Pæsti,
Has tua dum lambit lilia, suxit apis.

X V I I.

Ex Crystallo.

PUrior e vitro Lodoici vibrat imago;
Vitalisque animæ symbola Candor obit.
Turpis in hoc videat se se Venus indice vitro,
Penè pudicitiam discet & ipsa Venus.

Ex

XVIII.

Ex ære Corinthio.

FLammivomis ſudatum operis, buſtumq; Corinthi
Fluxile,in hæc reſides imbuit æra rogos.
Ludere ſic Fatis placitum: nunc arte magiſtra
In vultus eadem,Dive, abiere tuos.
Tanta tibi pietas in moribus arſit, ut ipſas
Promereat caſus parturientis opes.

XIX.

Ex Iride gemma.

QUam bene Mantoi ſpeciem hæc imitatur Ephebi,
Gemmula quæ grati luminis Irin agit?
Nempe alios,alioſque trahens ſine Sole colores,
Elicit adverſa non niſi nocte jubar.
Candida Parthenio par eſt Natura pudori;
Cui facit arcanum purior umbra diem.

XX.

Ex Succino.

HEliadum fletu cur deflua Succina flavis
Minciadæ referunt vivida ſigna genis?
Gonſagis non ille Aquilis, faſtuque curuli
Præcipites regnorum auſus adire vias.
Anne ſuis quæ fixa rubent calcaria lumbis,
Pallidulis lacrymas elicuere notis?

XXI.

Ex vermiculatis lapillis.

MUlticolor punctim incisis Gonzaga lapillis
 Nobile musivæ sculperis artis opus.
Ergo age da nitido, da currere solibus annos;
 Ne fera Bistonio sæcula Marte tonent.
Italiæ jam dexter ades: tibi plurima fulget,
 Quæ niveos signet lucida gemma dies.

XXII.

Ex odoratis pastillis.

ÆMula Mantoi quæ Cælitis ora coruscat,
 Ducta per artifices massa, reducta manus.
Ver Arabum, messemque omnem Gangetidis oræ
 Dives odorati pulveris una fovet.
Lactea Virgineis præijt si lilia votis,
 Fingat Aloysium quis, nisi fingat odor?

XXIII.

Ex reticulato argento.

IPsum etiam argentum per fila gracillima ductum
 Quod plicat in tenues dives Arachna plagas;
Cum tibi crudelis maciem spiraveris ægram,
 Ambijt in vultus ire Loysi tuos.

XXIV.

Ex lapide Philosophico.

ET Sophiæ lapis in Gonſagæ aſſurgat honorem,
Signifer arcani creditus eſſe Midæ.
Futile commentum, & mendaci fabula fumo
Splendida, per vigiles ſæpius acta focos.
Ergo fidem, cupidę pretium facturus & arti,
Tranſijt in formam Cælitis, ut ſaperet.

XXV.

B. Stanislaus Koſka ob divini amoris æſtum linteolis nivata aqua perfuſis refrigeratur.

QUam gelidam cordi zonam præcingis aduſto,
Abſtulit ex oculis hanc Amor ipſe ſuis.
Nunc maiora time tibi vulnera: totus in ignem
Ibis, ubi ſtricto lumine pugnat Amor.

XXVI.

P. Ignatius Azebedus a Calviniſtis in mare proiectus, B. V. Tabellam manu complexus, feliciſſimè obijt.

FLuctuat inſano quà Tethys Atlantias æſtu,
Oceani primas nata ciere minas;
Mænas Aſevedum iecit Calvinia Typhin,
Ne facerent meritum litora ſurda rogum.
Seminecem tamen ille manum arduus extulit undis.
Armarant pictæ Virginis ora manum.

Fo-

Felix morte sua. Spectantibus additus astris,
Hæresin hac mersit naufragus in Tabula.

XXVII.

P. Henricus Garnetus Londini interfectus, sui effigiem in frumentarijs stipulis impressit.

OS, animamque tuis Garnetius indit aristis:
Mors Latiam feret hæc, Anglia crede, Fidem.

XXVIII.

P. Rodulphus Aquaviva in Salseti insula quinquies Barbarorum telis traiectus, Nobilitatis decus ad sanctimoniam transtulit.

MEmnoniis oriens Aquivivius occidit oris;
Exhausitque suum in vulnera quina Deum.
Splendidius fusi nituit tum sanguinis ostrum,
Quàm quod Avùm vivis nobile fluxit Aquis.
Ipsa chlamys Regum minor est, & purpura Solis.
Vesperis hæc patitur, funeris illa vicem.

XXIX.

P. Marcellus Mastrillus turbinatis in caput aquis excruciatur.

TUnderis intorta Marcelle rotatilis unda,
Nec tamen immotam turbinat unda Fidem.
Et meritis multam infractis molita coronam,
Complicat innumeris acta voluminibus;

Par-

Parthenope victrix patrijs emergeret umbris,
Hæc modo si bustum lamberet unda suum.

XXX.

Idem insertos unguibus calamos patitur.

EFfera Marcello properet quò Fata satelles,
Exacuit sectis vulnus arundinibus.
Irrita vis. summos cum pœna lacessiit ungues
Insónuit calamis altiùs icta Fides.

XXXI.

Idem Argumentum.

IRrue,& indomita mollescere nescius ita
Miles, inhumano vulnere fige sudes.
Imbuet hoc Famæ titulos Mastrillius ostro,
Plus vicit,pœnis cum dedit ipse manus.

XXXII.

Obtruncato eiusdem capite,incidit solis eclypsis.

MArcello çaput abstulerat bis irrita ferri
Cuspis, in immeritam tardior ire necem.
Tum properata repente diem super incubuit nox.
Densaque Japonias terruit umbra plagas.
Plaude minor nato Loiola:tibi astra parentant,
Nubilus huic superas Sol dedit inferias.

Her-

XXXIII.

Herba Trinitatis, tricolor in folijs.

VErna pijs etiam vegetant mysteria campis,
Indeprensum oculis promicat herba Deum.
Exprimit una trium frondes induta colorum,
Cor unum, & triplici in lumine Numen idem.
Numquam invicta Fides hanc porriget hostibus herbā,
Dum sibi pro lauro floret amœna Trias.

XXXIV.

Herba, labrum Veneris nuncupata, ad modum vasculi aquam continens, quam sicco Cœlo bibunt aues.

ALigerum pincerna, urit dum Syrius agros,
Exhibet in patulo Naiadas herba sinu.
Germinat in fontem, ceu Chloridos uber amantis;
Et viridi volucrem diluit imbre sitim.
Ah pudet hanc Veneris labrum dixisse. Venenum est,
Quidquid aquariolis prodigit hausta Venus.

XXXV.

Ad impurissimum Poëtam Cacilianum.

QUid nos invidiæ insimulas, si poscimus ignem,
Et Nemesim in musas Cæciliane tuas?
Fornicem olent, stygioque cientur Erynnies æstro,
Nec nisi sentinam turpia metra vomunt.
Villicus immundo censendus an invidus horto,
Devoveat merito si male nata rogo?

Jon-

XXXVI.

Jonctinus Florentiæ Astrologus, librorum suorum illabente mole oppressus interijt.

PRofundiorum proxeneta Fatorum,
Mundique Aruspex, abditæque Naturę,
Jonctinus, omnes dum domos Planetarum
Et signa & Ortum, & Cardines, & Occasum
Lustrat, daturus multa configuratis
Horoscopis commenta credulæ turbæ;
Vivum ac videntem, vindicante se Cælo
Repente lapsa codicum obruit moles.
Pronœa mendacem æqua siderum mystem
Damnavit umbris, & librariæ nocti,
Suis sepultum litterarijs nugis.
Quid eruditum a Vate, quid schola dignum
A temporum Præcone posteri sperent?
Nil capite fracto potuit ille testari.

XXXVII.

De Eodem.

AStrologam plebem Jonctino est cernere in uno,
Ad tumulum Tabulis poscitur ipsa suis.



XXXVIII.

Idem.

IRritus immenſum Cœli Jonctine volumen,
Et cæcos legis Angulos.
Manilij effatum recolas. LOCUS OMNIA VERTIT.
Diverſaſque trahit vices.
Nullus Ephemeridum labor umquam noverit, in qua
Scribæ ſede latent Jovis.

XXXIX.

In Beſtium inertiſſimè manduconem.

INgenij præ quam credas, & ventris aſoti
Totus amat nomen Beſtius eſſe ſuum.
Deſidiam ſomni ad medium producere Solem
Videris, & ſerum ſternuere uſque diem.
Evigilat, cœnæ ſignant ſi Gnomones horam:
Seque hominem ſentit vivere, ſi ſatur eſt.

XL.

PRinceps Stultitiæ Prudentia, Numinis, expers,
Nam Pietas ὀρθὸν ſuggerit una λόγον.

Rectam Rationem.



XLI.


Ad Rullum effusè prodigum in musicos Eunuchos.

SEmiviros nimium foveas si Rulle canoros,
Res sensim in modulos effluet hausta breves.
Ah vereor, serò ut sapias expertus, avitas
Quàm facile Clavis musica perdat opes.

XLII.

In Martinum Lutherum stercorarium exorcisten, qui in Templi sacrario, Energumenam liberaturus, a malo Genio multatus, alui profluuiò tantum non perijt.

NItitur obsessæ dum solvere vincla Puellæ;
Posthabuit fatuo qui sacra Claustra luto;
Allisere solo iratis Cacodæmones umbris;
Os, humeros multò vulnere stigmaticum,
Eiulat infelix, & posticam diabetem
Egerit obscœnas sordidus in caligas.
Plaude tuo Marti pubes Islebia; plaude
Tam bene contuso Saxonis Aula popæ.
Stercutij poterit summus jam Flamen ad aram
Ferre Cloacinæ mascula thura Deæ.



Ex-

XLIII.

Expugnato Bellogrado ultra progrediendum ad Turcarum exitium.

I celer, i faustis Victoria lætior alis,
 Præcine Sithoniis arcibus excidium.
Aula ruat Thracum tumido regnata Tyranno:
 Ausonijs sese misceat Hebrus aquis.
Ne mora sit: Fortuna pijs favet Austria votis,
 Pulchra patet victo jam via Bellogrado.

XLIV.


De eodem, cui nomen, Alba graca.

INduat imperium jam nominis Alba Latini,
 Quæ potuit Romæ fallere Græca Fidem.

XLV.

Ad Seruiam, ut se Cæsari mancipet.

LIbertas hilari jam fausta remurmurat Istro,
 Ergo age Threijcium Servia frange jugum.
Te pietas tandem victricibus asserat armis.
 Nobile sub miti Cæsare nomen eris.



XLVI.


S. Nicolai Myrensis Episcopi ossa prodigioso nectare diffluunt Barij.

QUlis non nectaream colat benigni
Urnam Nicolei, uberem perenni
Ad plenum scatebra, siticulosæ
Potandam Appuliæ, exterisque Regnis?
E nudo liquor osse, rorulentis
Exundat salientibus; nec æstu
Arescunt cineres, nec ullam in annos
Labem concipiunt aquę, beatis
Signatæ phialis: brevique vitro
Ingens Oceanus natat bonorum.
Mersam hoc Hæresin imbre flent Lemanis
Stridentes odio Striges lacunis,
Dum Typhis Fidei, Myræ Sacerdos,
Per miracula navigat sepultus.

XLVII.

Epitaphium Judæ suspendiarij.

PErdidit hic nummos, animam, Cælumq: Deumque.
Quanta tument uno funera sub laqueo?



XLVIII.

De Lupio, qui super mensam excreando, salivam identidem gargarizaret.

IN cœna grunnit Lupius, dum morsa requirit
Per cochleam angusti gutturis offa viam.
Non secus ac olidi semesa ad furta macelli
Ringitur in socios ira molossa canes.
Execror hunc morem: non unum crimen in illo est,
Ut simul ad patinas murmuret os, & edat.

XLIX.

Astraus Aquitania Regi gratiosus, quòd vario oculorum flexu Luna mutationes effingeret.

ASTræi quæ vis oculos agit insita? Lunæ
Menstrua designant tempora, puncta, phases.
Quippe tument, pleno graditur cum lucida cornu:
Deficiunt, cum vel nulla, vel unca globo est.
Hunc Fortuna jocum repetit; Lunæque labores
Fert oculis bifrons Aulica turba suis.

L.

In pigmentatum luxum muliebrem.

SCitè ter Afer Tullius Kalendarj
Pendere nuptis doluit auribus censum.
Comptæ per annum fœminæ dies signant:
Faciunt profestos, cum domi tegunt vultum:
Rubrica purpurissat in genis Festos.

In

L I.

In N. qui eiurata fide urbem Rhodum dedititiam Solymano vendidit.

QUi Rhodon infido clam mersit Amaralus ausu,
  Nonne malam meruit degener ille crucem?

L I I.

Ad Aldum.
De Vmbra in ortu, & occasu maxima.

INgenium multis hæret non discolor Umbrę.
  Magna oritur, minor hęc ardua, summa cadit.
Transigitur præceps in crimina firmior ætas:
  Integra vix pueris,& pia vix senibus.
Quid nisi virtutis larvam dicemus & umbram,
  Extremum vitij quæ tenet, Alde, locum?

L I I I.

Ad Levinum.
Rhopolosis, seu Pica, seu Gorgon Polona, crinibus in baculi modum concretis.

HOrrendum implicitis per pendula vincla capillis,
  Nexa Medusæo glutine Pica riget.
Irritus extricas; nec ferro impune recidis.
  Scilicet & vitæ stamina secta secat.
Gorgonis hanc fœdam illuviem evasura Polonæ,
  Itala gens emptis pectitur usa comis.
Ut nihil hoc noceat, plus est, Lævine, pudendum.

Cum totidem sint mendacia, quot capita.
Lascivire etiam Libitinam cogimus ipsam,
Cæsariemque ornant funeris exuviæ.

L I V.

In Classicum ineptè multivolum.

APpetis innumeras numquam idem Classice formas:
Induis, & vultus exvis usque novos.
Cumque procax tibi plaudis, & aptus ad omnia, primã
Effingis graphicè Classice materiem.

L V.

Q. Hortensius Muranam emortuam flevit.

MUrænam Hortensi quidni facunde doleres?
Hæserat ingenio spinea cauda tuo.

L V I.

Idem.

DElicium Muræna, tuumque natatile votum,
Ocyor ad dociles subsiluisse jocos;
Spirat adhuc defleta; suæ nec posthuma famæ
Viveret, ignavis ni periisset aquis.

L VII.

Idem.

ARuit insulsè lacrymans Hortensius; & se
Fecit Murænæ in funere ridiculum.
Tullio in hoc etiam minor æmulus. ore diserto
MURÆNAM vitæ Tullius asseruit. Orat. pro Muran.

L VIII.

Ad Amicum Neomystam.

PAntheon ingrederis melliti munus Amoris.
Ah cave sit labes moribus ulla tuis.
Nemo magis timeat sibi læsum amittere, quàm qui
Præ manibus mystes possit habere Deum.

L IX.

Pertinax Imperator die quo occisus est, nullam in pupillis effigiem habuit.

SI qua oculos suffundit inani synchrysis umbra,
Nec species visis pingit imaginibus;
Omina vicini signat funesta sepulchri;
Anteeunt cippum lumina surda suum.
Qui nec flammam Erebi, nec Cœli prospicit iram,
Ipse sui peccat pyrphorus exitij.

L X.


S. Monycha Augustinum filium e Manichaeorum haeresi, & libidinum caeno, suis lacrymis emersum Deo dicavit.

ANxia diu, nimium Mater, bis Monycha Gnatum
Parturiit luctu nixa precante suum.
Una vices Lucinae obiit lacryma, una sepultum
Eruit ex Orci Manibus Indigetem.
Divinum hoc nondum pia viderat Africa monstrum
Ex oculis genitam plus viguisse Fidem.

L X I.

Scenographiam Calvarii montis, columna Venetijs exhibet, Natura non arte.

ABruptis immane jugis, terraeque tumultu
Maenala iam passo dissiluere Deo.
Marmora nunc Solymem Adriacis incisa columnis,
Et varias animant sculpta sine arte Cruces.
Confer utrumque: illud dices, vindicta dolentis
Naturae, hoc pietas finxit amantis opus.



Ad

LXII.

Ad P. Giannettasium heroico carmine Halieutica scribentem, de lautis pisciculis, quos vernaculè Rhegini Cicirellos vocant.

DIvinam Glauci si forte momorderis Herbam,
Dic age quæ mænis nomina lacteolis?
Par tenues vel Acos, Aphyas vel forma colorat.
Mammula cæruleo in pectore blanda tumet;
Nec nisi Trinacrijs rarò piscamur arenis,
Quà Thetis angusto fluctuat acta freto.
Vidi ego, sollıciti jacerent cum retia Nautæ,
Subsultim laxis exiluisse plagis.
Ac veluti plenis spumarent æquora mulctris,
Turgida lactifluo canuit unda sinu.
Excoquit ad cœnam facilis labor igne brevì, nam
Abnuit ardentem mollior esca moram.
Has individuo signas si nomine, partes
Non mihi tam Vatis, quàm Ciceronis ages.

LXIII.

Flos Apis ab authore visus.

AReolis legeret rorem dum forte maritum,
Immoriens madidis frondibus hæsit Apis.
Efflavitque animam; bustoque repente biformi
Flos in apis faciem degener emicuit.
Nunc risus viret, & metus; ambiguusque videri,
Fallit Aristæos mimulus agricolas.
Ala comis micat, & volucri prope panditur auro,
Mollis & exerti prominet oris acus.

Sic sibi crediderim extremo plausisse susurro:
Flos simul,& saturi Dædala mellis ero.

L X I V.


De frugifero D. Magdalenæ fletu.

SI tantùm fluat, arescit citò lacryma: Cælum
Parturit hæc, Domini quæ rigat una pedes.

L X V.

Ad Eminentissimum Principem Cardinalem Vrsinum, qui motu Terræ per horam semisepultus, ac morti proximus, Averruncum S. Philippum Nerium expertus, evasit ipsa ruina protectus.

VIris io, vivis, murorum emerse ruinis:
Stantia non poterant tecta probare Pium.
Virtutum quæ summa tenet, plus surgere ab ipso
Edidicit casu Relligiosa Fides.
Purpura sic Solis collapsum imitata Colossum,
Prodigium est Cæli nobile, quòd cecidit.



LXVI.

Ad Eumdem,
Qui Principis Templi molem in maiorem amplitudinem, & elegantiam a fundamentis excitaverat, & multorum Sanctorum Reliquias humi diù defossas, in publicum, Hierothecis ornatas eduxerat. Omnia statim vibrante solo collapsa, patientiæ lucro vertit; & jacturam impensæ, in virtutis compendium commutavit.

Quæ feritas, motæ quæ tanta audacia terræ
Ambijt Ursini Muricis exitium?
Splendida divino cur Templa recentia cultu
Protinus insano diruit ulta Chao?
Invidiam hanc Erebi dicam; namque eruta Divûm
Vidit ut effosso Lipsana Sacra solo;
Extimuit, tanti ne Præsulis ardua virtus,
Ipsa etiam Stygij perderet antra Ducis.

LXVII.

Idem.
S. Philippi Nerij brevi pileo tectus, e vestigio exulcerati capitis crustulas, salva, sartaque cute excussit.

Pileolum indutus Nerii, quæ sessilis hæsit,
Excidit illæsæ saucia crusta cuti.
Auguror hinc Orbi lætissima tempora, præsit
Tam charum Superis, si tibi Roma, caput.

LXVIII.

Ad Eumdem,
Qui depositum, deploratumque Medicis videndi sensum ob infusam oculis pulveream calcem, adito S. Philippi Nerii Templo, recuperavit, accensum cereum irretorta acie intuitus. Alluditur ad Philippi nomen, quod Hebraicè, Os Lampadis, sonat.

PRæcipites inter lapides, & rudera, mersit
 Insita calx oculos, nube ruente, tuos.
At Sacram Nerij subiens opthalmicus Aedem,
 Lux redit objectas cernere firma faces.
Luminis ingenium bene reddidit Ara Philippi;
 Nomine nam sonat, Os Lampadis, ipse suo.

LXIX.

Ad Eminentiss. Principem D. Fortunatum Carafam Sacra insignitum Purpura, Septembri mense.

ORnari jam cæpit Honos, dum cingeris Ostro;
 Nempe minor meritis pulchriùs erubuit.
Non favor, aut velox emptæ indulgentia Sortis;
 Contulit Astrææ Virginis Urna decus.
Purpureum multis affert Fortuna Galerum;
 Tu Fortuna Sacri Muricis Ipse tui es.

De

LXX.

De eodem.

POst obitum Fratris, ſimili cum luce rubeſcas,
FORTUNATE, novo ſydere Caſtor eris.

LXXI.

Ad Eumdem.

NExa tuo pariat Generi cum Teſſera Spinam,
Quin Vaticanis floreat uſque Roſis?

LXXII.

Officinam proximam Templo deſerens Faber marmorarius, collapſis murorum fragminibus obtritus periit.

MArmora cum nitidis Equitum devota ſepulchris
Sculperet, induſtri ſedulus ære Faber.
Intremuit Tellus, rapidoque evulſa tumultu
Pulvereum merſit, Sole pavente, diem.
Horridus hinc Terror, trepidante per obvia greſſu,
Impulit ad Sacrum deproperare Forum.
Infelix fuga: marmoreæ qui ſepta Tabernæ
Exierat, ſaxis obrutus interijt.

LXXIII.


Nobilis quidam Vir Vxorem miseratus, motu Terræ sepultam, sed adhuc viventem, bis millibus aureis eruendam curavit, infelici exitu.

O Bruta dum Coniux murorum in strage lateret,
Seminecem Vir adhuc sensit ingemere.
Et quis, ait, mihi servet? erunt duo millia, merces:
Ne celerem, pietas si qua, moretur opem.
Vox pretij auxilium meruit, vel hiante periclo:
Usque adeò redimunt pinguia lucra metum.
At simul emersam, rapuit mors improba vitæ,
Funereum lux heu debuit empta rogum.
Quod Fati genus hoc Superi! vixisse sepultam,
Effossam tumulo disperijsse suo.

LXXIV.

Ad Castricum.
De vano sepulchrorum ornamento.

QUæ miseris incisa etiam stat pompa sepulchris?
Funebris augusto par nitet urna throno.
Splendidius putrent multi, quàm Castrice vivunt:
Posthumus e busto sumat honor cinerum.
Ah liceat Morti luxum punire superbum:
Ut saltem in laribus terreat ipsa suis.



Ad

L X X V.

Ad Faustinum causidicum conscientiæ scrupulis æstuantem.

Tumultuosas inter ambages Fori
Numquam quiesces, Mentis arbiter tuæ,
Ni recta Legum scita consultus probes.
Hinc, inde trepido fluctuat motu bilanx
Faustine; in Æquo firma se sistit, pares
Librata partes: si tamen flectat gravi
Vel pressa lucro, vel Politiæ dolis;
Pendebit undulata, nec constans sibi.

L X X V I.

Ad Eumdem.

Qui sibi Lex, sibi Consilium est, & Curia, stulto
Assidet: ex aliis discere vera juvat.

L X X V I I.

Ad Serenissimum Bavariæ Ducem, ob expugnatum celerrime Belgradum.

Vallatam fluviorum altè obluctantibus undis,
Effera quam Getico milite Mænas obit,
Acropolim assultu Dux imperterritus uno
Cogis inexhausto succubuisse metu.
Quæ per difficiles Mars ipse absolveret annos
Prælia, dimidium conficis ante diem.

Juret in hoc Virtus simul & Fortuna triumpho,
Utra hominem, gladio Numen inesse tuo.

LXXVIII.

Ad Eumdem leviter in vultu vulneratum.

SAucius aspectu, per sibila tela, decoras
Sol Bavarùm præfers bellicus & maculas.

LXXIX.

In Scirpulum stultissimè fastosum.

AUt Regem, aut Fatuum nasci dixere necessum est,
Dimidium tantæ, Scirpule, sortis habes.

LXXX.

De Pandaro in negotiis otiosè sollicito.

AD lites vigil ut statim recenti
Phœbo Pandarus adsit, & forenses
Aptè res agat, explicetque causas;
Vati credite, dormit ocreatus.

LXXXI.

Ad Christinum Martinellum Nobilem Venetum, & moribus, & ingenij elegantia Authori charissimum.

NOn tibi venali vatum Christine cothurno
Blandiar, aut fictis aulicus, officijs.

Nul-

Nullus adulandi metus est, ubi deficit omnis
Inferior meritis laus vel amica tuis.
Cui mens a teneris didicit præcurrere Solem,
Cui numerat doctos Palladis umbra dies.
Ethicem amas, Phœbumque, altæque Matheseos artem,
Proximus Adriacis erubuisse Togis.
In Te degeneri rarum hoc decus eminet ævo,
Nobilium ut princeps Tessera sit, sapere.

LXXXII.


Montes Diaboli in Albania, olim Acroceraunia, ubi armenta pinguissima.

NOmen habēt stygij, olim naufraga culmina, Ditis;
Pascit ubi saturo germine gleba greges.
Nil mirum tamen est: quos ganea destinat Orco,
Prodiga deliciis pellicit, & jugulat.
Quisquis ad has eniteris armentarius alpes,
Ad cædem properas victima, pinguis Agag.

LXXXIII.

In Voculam vinosum, & Cauteriatum.

UT biberet Calicum remex impune metacum,
Consuluit binis Vocula fonticulis.



LXXXIV.

Ad Pontatum.
In senes imberbes, & comatulos.

DIffluit in crines Senibus mentita juventus,
Cum prope vis superet nulla mesenterio.
Nostra abavos rident jam tempora Cincinnatos,
Ruga quibus canæ jugera frontis arat.
Pontace, quot numerent umquam non noveris annos,
Quisque sibi Alcides, quisque simul sibi Hylas.
Atqui ne Priamis delusa comantibus erret,
Mors vigilare Metoroscopa Fata jubet.

LXXXV.

In Germaniæ fodinis Io: Wacherus armati hominis ex argento statuam eruit.

PRaxitelem num Casus agit? num consita Thebas
Norica Cadmæo semine terra fovet?
Finxit inaccessis quis militis ora fodinis?
Horridaque argenti fusilis arma dedit?
Anne tument etiam Manes ad bella sepulti?
Naturæ dolus est vindicis, anne dolor?
Credere fas; scelerum prædis cum prælia regnent,
Hinc trahat armigeras ditior Orcus opes.

In

LXXXVI.

In Ctesippum improbæ voracitatis.

GAnea Ctesippo censum,& fundū hauserat omnem;
Nexaque purpureis serica fila togis;
Deficeret vacuæ ne tamdem annona crumenæ,
Eruit ex ipso sordida lucra solo.
Vendere sculpta olim patrij monumenta sepulchri
Cœpit;& in cineres impius esse pios.
Proh vesana gulæ ingluvies vel edacior Orco!
Gutturis ad luxum devorat & lapides.

LXXXVII.

Cœlo tonante, nefas olim Romæ haberi Comitium.

COmitiis vitium tonitrus fecere Quirinis:
Infaustum timuit Curia muta Jovem.
Putidus hic error: Fas rectum jura loquuntur,
Si sibi fulmineum sentiat Aula Deum.

LXXXVIII.

In Cinnam merobibum.

NOn est quod dicunt,Baccho te sæpe litantem,
Vesuvi lacrymas, Cinna, sitire meras.
Optimam amas consultus aquam, facilemq; levemque;
Scilicet ad cœnam quæ lavat una manus.

LXXXIX.

Leo IV. Imperator semper Diadematus etiam in somno, sibi mortem festinavit.

QUòd numquam exueret gravem lapillis,
Et gemmis rutilantibus Coronam,
Cessantem Leo provocasse Clothon,
Et funus sibi creditur, superbi
Captus magnificentia pericli.
Dùm Cæsar nimiùm cupit videri,
Cæsar vivere desiit: sub auro
Expertus gelidum latere Fatum.
Verè unus capite emit hic Coronam.

X C.

De Callippo exclamante: Vellem esse minus rerum intelligens.

SÆpe dolet clamans Callippus, & angitur æstu;
Esse sibi nimium mentis, & ingenij.
Atque etiam Logicam vim mallet hebescere. Votum
Difficile hoc, nisi sit conscius ipse sui.

X C I.

Fortuna Congiaria.

QUæ Sors donat, in æstuario sunt,
Accedunt simul, & simul recedunt.

In

XCII.

In Nanneium splendidè improbum.

CUm vexet omnes, luceatque Nanneius,
Tegat & nocendi subdolam sagax artem;
Nuceam videtur induisse compagem,
Quam multa tortis divitem facit venis,
Ornatque sanies, sectilesque verrucæ.

XCIII.

De Corbilio edacissimo.

COrbilium censent multi cœnare biventrem;
Quippe iterum satur ad cœnam, iterumq; redit.

XCIV.

Silentij encomium.

DIgnum laude Silentium perenni est:
Huic debent placido otium Camœnæ:
Debent ingenium vel imperiti.
Stulti nam sapiunt, nihil loquendo.

XCV.

Ad Charmylum nupturientem.

UNisonis Echo fidibus citharistria ludit,
Promptior alterno concinuisse sono.
Dissitus alliso per & intervalla recursu,

Hinc aër paribus tinnit,& inde modis.
Pacta fides voto ut concors sic assonet uno,
Quod vetus est dictum,Charmyle, Nube pari.

XCVI.

In Balthassarem Regem, digitorum ænigmate lata capitis sententia.

Supplicium Regi (res numquam audita) minantur
Litterulæ,digito vindice , non calamo.
Nam patinas inter paries fatalis opimas
Exeruit nullam ad regia dona manum .
Libera sacrilegos damnant & Jura Dynastas,
Censores manibus si careant digiti .

XCVII.

Alexander Macedo, temulentus in curru, iugalibus asinis vehi solitus. ex Athen.l.10.

Regnatorem Asiæ, terraque, marique potentem,
Advectum bijugis legimus isse asinis.
Usque adeo Magnos ubi vis rapit ebria,quò quò
Bruta velint animi vota calentis, eunt.



XCVIII.

Ad Josephum Vallettam I.C. eruditissimum, ob insignem domi Bibliothecam magnificè ornatam.

PAlladio splendent quæ maxima sidera Cælo,
Numquam typographis interitura cyclis;
Parthenopæ spectanda aperis, Musisque disertos
Exornas cultu nobiliore lares.
Quamquam aditu maiora in Te miramur amico:
Nam non una tuæ Bibliotheca domi est.
Altera βασιλικῶς pluteis ditissima clamat:
Altera plus clamat prædita mente, σοφῶς.

XCIX.

Aurum violentissima flamma indomitum, paleis celerrimè liquescit. ex Plin.

ARdescens paleis liquat ignis edacior aurum,
Excoquit in levibus sic citò luxus opes.

C.

Ad P. Jo: Baptistam de Benedictis, de Divina Gratia prælegentem, Antimachum Jansenistis.

SAlve o delicium scholæ disertum,
Aureum Palladis os severioris.
Calvinam premis Eumenin, cavillis

Pugnacem fatuis, Ducem sequutus
Augustum ingenio. Doces ut uno
Sese fœderet obligata nutu
Libertas, & amica Gratiarum
Victrix vis sine vi; trahatque lenis
Naturæ genium arbitrum volendi.
Non ad servitium Pronœa cogit
Obluctantem animum; ulcerisque primi
Tabo deciduum excitat medendo.
Mens individuo marita nexu
Divinis agitur libens, agitque
Consors auxiliis: satumque semen
In frugem meritæ fovet Coronæ.
Quid Jansenia lustra peieratis
Occentant upupis; & abnepotes
Nos fingunt Agaris? Sumus beatæ
Proles libera, regiæque matris,
In censum ætheris a Deo relati.

C I.

Ad Ruspum abiectissimæ spei, & pingi cupidum in tabula.

Ruspe antropographum, ut tua pingeret ora, petisti.
Excusatum habeas, vel pete Zoographum.

C I I.

In Campanariam Turrim, continenter obstrepentem.

Hactenus hæc: nostro Turris nam proxima Pindo
Campanis Liparen ictibus alta tonat.

Aë-

Aërium patimur Nilum per inane ſtrepentem,
Et ſurdis omnem impendimus invidiam.
Quæque Cyclops boat hora vel intoleranda veternis,
Hora ſimul noctem malleat, hora diem.
Si Laërtiades iterum nunc viveret, & ſe
Flecteret emenſo ad littora noſtra mari;
Non reſonis blandam exitiis Sirena timeret;
Cautus ad hæc aures cluderet æra ſuas.





EPIGRAMMATON

LIBER VIII.


I.

Eucharistia Sacramentum.

Anagram. purum.

Ecce Saturitas animarum.

Nectar adoratum *Superis*, & Numine plenum,
Pantheon æterni hoc dapsile symposij est.
Ex oculis arcete famem: si creditis, uno
Saturitas animarum ecce sub orbiculo.



II.

Sanctus Laurentius Diaconus Romanus, & Martyr.

Anagramma.

mutato T in S.

Sic ustus morior. versa Tyranne manducans latus.

S*Ic ustus morior versa* insaturabile monstrum
Manducans geminum sæve *Tyranne latus*.
Littera nam Divo mutata est prima Timoris;
Una hilari viget in Martyre prima Spei.

III.

Ad Supremum Consilij Præsidentem. D. Felicem Ulloa.

VIvida lex legum, Hispanæ virtutis Aruspex.
Austria qui magni munera Regis obis;
Consilijs Recti cortinam Ulloa recludis;
Nec dubijs Sphyngem litibus esse finis.
Omnia vestigas, & digeris omnia nutu:
Non Favor, aut odium Te stimulat, vel emit.
Quæ dictas, Sinam sapiunt, Tabulasque Tonantis;
Ara simul consors ardet & Aula Deo,

IV.

In Titum Judicem pudicum, sed pecuniæ avidum.

ASTræam Tite Virginem peroras
Judex castus, & integer pudoris.
Vultu semper agis Forum severo;
Nec luxu caperis voluptuoso,
Et mores polit elegans Honestas.
Hanc laudem tamen abnuunt clientes;
Et te uxorium, adulterumque multis
Testantur tabulis: amas Chrysillam.

V.

Ad D. Stephanum Carillo a Latere Regentem.

VIrtutum quàm dulce cies Carille duellum?
Inter se certant hinc Rigor, inde Charis.
Et terres, & amas: ac vindice mitis in æstu
Regia das nullo iura supercilio.
Crimina Te quamquam timeant, odisse vetantur,
Nam quæ tela iacis nubilus, Irin habent.

VI.

Horologium Solare Achaz. Isai. c. 38.

TUrtis Achazææ Solem dum Cyclades Umbræ
Signarunt stupido gnomone Retrogradum,
Visa dies crevisse; sed una crevit in Aula.
Mentitos finxit linea ducta gradus.

In ſpeciem fallunt dominis Sciatherica tectis.
Blandior ut Magnis hora ſtet,hora fluit.

VII.

Ad Auctum ut Adulatores deſpiciat.

INflamur,Aucte, laudibus licet fictis,
Et credimus vel mentientibus grati.
Tibicinem rarum, undequaque Flatores
Hæc noſtra pariunt ſæcula: & probant empti
Etiam improbanda, ſi qua ſpes trahat lucri.
Ni tibi ſeverus noveris tui cenſor
Menſuram agelli, Pulveraticum marcet.
Odiſſe laudem, honoris eſt genus ſummum.

VIII.

In Longurium indecenter bibonem.

LOngurius biberit collo cum vina reflexo,
Reſpirat, ceu magno enatet e pelago.
Frigida cunctanti caleant ne vitra bibenti,
Circinat in gyrum labra per uda ſcyphum.
Sympoſij vellem ſciret legemque, modumque:
Poſcit enim morem,& ſobria menſa πρέπον.



IX.

Ad Crispani Ducem D. Didacum Soria a latere Regentem, a B. Stanislao Koska S.I. sanitati redditum.

IUstitia, an Pietas, dubium est decidere Musis,
 Ornet an hæc mentem maior, an illa tuam.
Magnificè Regum partes, ac Numinis imples:
 Publica, non tua compendia rectus amas.
Hinc voti reus in dubiæ discrimine vitæ,
 Æger pæonium nactus es Indigetem.
Koskiades Fato eripuit: nempe arbiter æqui,
 A Superis tantùm sumere dona cupis.

X.

Ob mariti jacturam Coniux Romæ se proiecit in fluvium.

AMissum fletura Virum se Prẹfica mersit
 In Tiberim Coniux. hẹc sine dote fuit.

XI.

Ad Oxylum ut a fungis abstineat.

LImosas fungorum animas, atque ulcera terræ,
 Quæ parit Autumno ruptilis imbre tumor:
Fac epulis absint; nam funeream Oxyle pestem
 Succus acescenti glutine sæpe tegit.
Claudius intrisum hac in fruge ligurijt Orcum.
 Stultum est, ancipiti Fata ciere cibo.

Ad

XII.

Ad Pareta Ducem D. Franciscum Moles in Collaterali Senatu Regentem.

Zodiacum emensus per singula signa Forensem,
Pergis idem fido lumine Solis iter.
Publica res olim nullam Te Præside noctem
Palluit, aut dubio nubila jura dolo.
Hispanas inter Siren Campana Curules
Sensit inocciduos Te sibi ferre dies.
Rexit & Insubres populos Epidaurius Anguis,
Cum Themis e nutu splenduit aucta tuo.
Arduum id est, Fisco annonam indulgere sequestro,
Et simul urbanis consuluisse focis.
Tanta operum Moles, tanti decora alta laboris,
Fixa Tibi meritę sidera laudis alunt.
Nunc Regum Latus es, patriisque optabile votis
Solstitium præstas: hoc quoque Solis habes.

XIII.

Epitaphium Aloysii Puderici strenuissimi, ac piissimi Polemarchi.

Loysides jacet hic, Pudericæ gloria Famæ
Ultima, quæ nil quò tenderet ultra habuit.
Canitiem galeæ natam, & victricibus armis
Impetere ausa est Mors, dum timet ipsa mori.
Vidit inexhaustumque animis, Galloque tremendum
Belgicus Alciden exhibuisse Leo.
Hispanæ videre acies per tela, per ignes,
Fulmineum hostili nectere vincla Tago.

In-

Infensamque odiis plebem, Patriæque rebellem,
Et Guisium stricto subdidit ense Ducem.
Mersit hydrops eheu! tabo crudelis aquoso;
Cui decus in pulchro pulvere sudor erat.
Parthenope tantis sitiat ne Manibus urna,
Crater in lacrymas defluat usque tuas.

X I V.

Ad Ducem Campomele D. Troianum Miroballum a latere Regentem.

HEroos Maiorum ausus, & Equestria signa
Excrescunt in Te maxima, dum sapiunt.
Strenuus in Legum stadio vicisse Togato,
Aligeri præfers Cyllaron Ingenij.
Gloria Avis fuerit bellandi equitasse Magistros;
Arbitra mens Æqui gloria tanta tua est.
Dii precor o meritos donent tibi Nestoris annos:
Melleus eloquio es, melleus & Titulo
Oeconomus Regnis esses satis unus Iberis;
Natum ad magna, capax par viget Ingenium.
Troianus Danaûm non perfida dona timeres;
Nec te venali falleret arte Sinon.

X V.

Cleopatra miserè felix.

ISta Paræthonia Nilum quæ navigat Argo
Thais, & in gemma divite Regna bibit;
Expertura suis fata ultima surda querelis,
Aspidei nutrix præfica dentis erit.

XVI.

In Cinnam incontinenter loquacem.

NUgax ineptit Cinna perdius, pernox,
Cœnatus, incœnatus, ambulans, fixus;
Si nullus adſit Socius, & domi ſolus
Secum ipſe garrit, & Forum agit amicorum.
Quin captus alto ſemiebrius ſomno,
Sonantiori voce Morpheum ructat,
Ranarum in uno crederes Magiſtratum.

XVII.


Otho Cæſar deſignatus ad cædem, dum iret cubitum. Adjiciamus, ait, vitæ & hanc noctem. Ex Sueton.

VNam cui vitæ tanti fuit addere noctem;
Imperij nullum dic meruiſſe diem.

XVIII.

Ad D. Lucam Jaccam Aragonenſem a latere Regentem.

O quem te memorem ſupremi Jacca Senatus
Gloria? vox laudes nón capit ulla tuas.
Auſpice Te Legum fas regnat, & Auſtrius Orbi
Carolus Alphonſos vivit Aragonios.



Ad

XIX.


Ad D. Antonium Caietam post abdicatam Regiæ Cameræ Prefecturam Collateralem Regentem.

NIl Caieta tibi par solvere Carmina possunt,
Antevenis Famam celsior ipse tuam.
Ne totus sileam, precor excipe vota, Sacerdos
Justitiæ, Superis nam quoque vota damus.
Redde Solon nostris edicta disertus Athenis:
Parthenio Spartam redde Lycurge Foro,
Quòd raucam exieris Fisci Rationibus Aulam,
Aut labor, in nummos jusserit aut odium?
Consilijs fultam nunc sedulus exere mentem:
Nullus obest Lateris Calculus officio.

XX.

Jezabel a Canibus trucidatur.

RElliquias horres Calvæ, manuumque, pedumque?
Cholchis Achabæi hæc Jezabel illa tori est.
Supplicium præceps subijt, caruitque sepulchro;
Ne foret obscœnis Manibus ulla quies.
Præda canum quoque cæsa latrat, mordetque videndo;
Exuit haud lacero in funere sævitiem.



Ini-

XXI.

Initia regnandi, ut plurimum bona, non item exitus.

Quinquenni plausit lætissima Roma Neroni,
Quo tamdem in cinerem Cæsare versa ruit:
Imperijs mites aperit lux fausta Kalendas;
Vix tamen exactis Idibus Umbra tonat.

XXII.

In perditè Mulierosum.

Solvas pudendę cum salarium Mimæ,
Postquam crumenæ exhauseris miser fundum,
Serum hæc rependet Lothidis salem stulto.

XXIII.

Ad D. Nicolaum Gasconem extra numerum a Latere Regentem.

In terras Astræa redux, & aperta videri,
Gasco, tuos poterit tuta subire lares.
Nil quod te fugiat, nisi voti crimen avari est:
Nil quod non animi sedulioris agas.
O tibi det similes peragendis Curia causis:
Numquam Fas sacrà desinet ire vià.

X X I V.

In illud Hippoc. Medicus est Deo æqualis.
Ad Thomam Quartam Lupiensem doctissimum Hippocratis & Euclidis Nepotem.

Quem trepidæ dubium vitæ dignatur amico
Lumine Rex Divûm, desinit esse miser.
Proxima laus Medico, lepidum cui multa perito
Ars dedit os; tristem nec sapit Hermocratem.
Frons Liparim febri caperata Machaonis addit:
Fac ægrum exhilarent pharmaca; convaluit.

X X V.

Ad Januarium ab Andrea, Hispanæ Aulæ destinatum a latere Regentem. cuius maior frater R. Consil. summæ eruditionis, & eloquentiæ.

Laurigeris Fratrem præeas cum Fascibus, hic est
Ultra annos meriti summus Honoris apex.
I felix salvusque ad Iberas clarior oras;
Et tua lux Gades transmigret Herculeas.
Quid sibi non faustum mirabitur Itala Siren,
Dum videt & Cœlo Castoras esse suo?

X X V I.

Ad D. Sebastianum Cotes Summi Camerarij Locumtenentem.

Fida manus, mens fida vices tibi credidit Aulæ,
Quæ Regum servat scrinia, censet opes;

Scilicet ambages, & vectigalia fraudum
Integer ex æqua pendere lance potes.
Omnibus exactum numeris Fas providus exples,
Spongia ne Fisci plusve, minusve bibat.

XXVII.

Palea in D. Januarij sanguine innatant.

QUàm fœcunda Fides? vivam ad miracula messem
Sanguineis serit, & colligit e stipulis.
Fumantemque in damna vetant mugire Vesevum,
Victaque flammarum fomite flamma perit.

XXVIII.

In Calvinistam, qui recisis Catholicorum auribus, sibi corollam intexuit.

IMpie quid truncas in serta recolligis aures?
Non Calvo hæc capiti consona vitta tuo est.
Da Fidei, da tale decus, quæ cæsa triumphat,
Et faustum auriti sanguinis omen amat.

XXIX.

In Eumdem.

QUò magis abscissæ Romanis gentibus aures,
Hoc magis imperium Numinis excipiunt.
Monstrũ hominis, mõstrum o Erebi, tot in auribus unã
Desperes: animis insidet illa piis.

XXX.

Idem.

AUribus intextam quamvis indute Corollam,
Non poteris surdum condere Calvitium.

XXXI.

Ad Pudicitiæ studiosos.

ESt commune trium Veneris genus. Una virũ aufert,
Et mentem, & corpus: parcite Grammatici.

XXXII.

Ad Petrum de Fusco, in agendis causis, quà patrocinio, quà Consilio scientissimum.

CLarior e fusco velut ad pictam excitus umbram
Mixtus Apellæa prominet arte color;
Consilio in lucem dubias educere lites
Niteris, & dictis annuit æqua Themis.
Justus habes, prudensque ex ipso nomine causam,
Petre ligare ream, solvere Petre bonam.

XXXIII.

Ad Volsum Amico utentem versipelli.

PAlpone captus improbo,
Cladem crumenæ amas tuæ.
Tractas supinè prodigus

Cum

Cum vulpe rem pullariam;
Pascis Cicadam roribus,
Expleta mox, male obstreper.

XXXIV.

Ad Ianuarium Bisognum Medica Philosophia cum primis peritissimum.

OMnigenæ Bisogne foves qui Pallados artem,
Altaque pæoniæ lumina mentis alis.
Ambiguos primum indagas ab origine morbos,
Ne qua lues imis repat operta fibris.
Derides Archæa sciens, panacemque salubrem
Cautus ab expertis elicis antidotis.
Janus es ad vitam: si languida, consulis ægræ,
Si firma, in longum prospicis, ut valeat.

XXXV.

Ad Avitum
Speculum caliginis, Amor proprius.

NIl sincerum oculis spectabis Avite, vel æquum,
Unum si speculum consulis ipse tuum.

XXXVI.

Asinus officiorum magister.

VIllicus, Urbanos cui mos contemnere mores,
Scilicet & tectum nulli aperire caput.
Urbis ad ingressum, multis cum civibus iret
Obvius, & vultu rusticus ipse suo.

Rem lepidam perstringo: Asinus quem forte trahebat,
Abstulit excusso vertice pileolum.

XXXVII.

De Momo.

DUm nostra relegit, ore mussat obliquo,
Torvumque ridet Momus: aliquid hic salsi est.

XXXVIII.

Nero ab occisa Matris larva deterritus.

SUpplicijs trepidat vacuæ Nero territus umbræ,
Umbra hæc elatæ posthuma Matris erat.
Nulla latent commenta dolis impune Tyrannis.
Funereum sceleri * μορμολικεῖον agunt.

* Spectrum

XXXIX.

In illud Cant. quàm pulchra sunt mammæ tuæ.
Ad Dorum vultuosè liberalem.

UBeribus laus est etiam concinna Venustas.
Nescio quid præstat dulcius ipse color.
Si terres quem pascis, acescit gratia lacti.
Ni sapiant oculis munera, Dore, negant.



In

XL.

In Judices venales.

CUi sunt crimen opes, Cæli fax dira forensis,
A Jove tam procul est, quàm prope Mercurium.

XLI.

Lapidea corda in Paderbornensi agro eruuntur Naturæ artificio.

NAturæ pietas lapides in corda refossos
Induit, & terræ viscera tangit amor.
Quis sua non doleat jam crimina? Limus habet cor;
Obdurata hominum in pectora saxa migrant.

XLII.

Ad Flavium Gurgo inter Advocatos, & scientia, & methodo eximiè doctum.

INter Romulei fascesque, togasque Senatus,
Inclyta adhuc Fabij Gurgitis acta sonant.
Vulsinijs domuit Servos ad fræna rebelles,
Terruit & Latijs Samnia castra tubis.
Quin tralatitio, censor morum, eluit ære
Fœda cupidineæ crimina nequitiæ.
Par etiam, Flavi, floret tibi laurea laudum;
Cuius ab illimi Gurgite jura fluunt.
Bella Foro sua sunt, sua litibus alea pugnax.
Nec minus est animos flectere, quàm gladios.

XLIII.


Ad Salvinum.
In Saturnales vindemiarum dies.

VBi ludit inter ebrias ferax glebas
Vindemiarum nundinator Autumnus,
Salvine, Legulos angue peius uvarum
Moneo cavendos Omnibus madent ſannis
Strepente cornu: muſteoque ſordeſcit
Aër tumultu: ruſticus latet naſus
Nugis in ipſis; corbulæque, ſcalæque
Turpem Orgiorum ad præla congerunt fæces.
Æquantur acinis nupta verba Faunorum,
Inter procaces impudentium rixas;
Unus Veſevi lacrymis Pudor luget.

XLIV.

In Cotilum impiè conviciatorem.

COtile habes culicum quòd pungis & uſq;ſus ſurras.
Extinctos quòd amas carpere, vermis habes.
Quòd blandas Venerum voces imitaris, Hyenæ:
Quòd Cycni ſpeciem fingis, Onocrotali.
Quòd ſacros etiam ritus, & Numina latras,
Nullum quem ſimules Cotile habes, niſi te.



Tunc

XLV.

Tunchinensium Rex aquis se lavat, in quibus Eclypsim inspicit.

VIderit Eclypsim qua Rex Tunchinus in unda,
Abluit ipse manus, abluit ipse genas.
Cæca superstitio, at multis probrosa Dynastis,
Amphora queis Cæli diluit hausta metum.
Sidera deficiant, & Sol & Luna laborent,
Lauta parant vitijs pocula, non lacrymas.

XLVI.

Ad studiosum intemperanter cœnantem.

SObria ni vigiles noctu mens transigat horas,
Pinguius ad musas oscitat ingenium.
Εγκέφαλον Iovis eructes cœnatus opimum;
Vagiet haud curis ulla Minerva tuis.

XLVII.

Ad P. Thomam Strozza Oratorem, & vatem egregium, qui de Cocolate elegans, & quantivis pretij carmen edidit.

HEsperijs fecere sitim quæ Mexica terris
Pocula, vitigenis dulcia præ lacrymis.
Tam bellè numeris ornas facunde canoris,
Ut nova jam Pindo Castalis unda fluat.
Cinnamaque, & sacchar, siliquas libamus odoras,
Cum legitur nitido pagina lauta stylo.

Hæc

Hæc si gustasset, non ebrius isset ad Orcum,
Dum timet adversi Cæsaris arma Cato.
Unum Strozza tuo vitium in Cocolate fatemur:
Salsum est, & multum Carmen habet piperis.

XLVIII.

Ad Seraphinum Biscardum primi subsellij Advocatum.

VNus habes Latiæ vim Suadæ, & schemata Tullj;
Tela Periclæi fulminis unus habes.
Facundus non ulla times fastidia; nec Te
Admonet ad tacitas clepsydra lapsa vices.
Si vel Romæ olim orasses, vel Rhetor Athenis.
Ipse tui poterat Juppiter esse Cliens.

XLIX.

In Harpalum ambitiosè residem.

ARdua si prensas ingentibus Harpale votis,
Antæeat præcox ardua vota labor.
Horrueris noctem? Cœlum nitida astra negabit;
Horrueris nubes? nulla sed Iris erit.

L.

Ad Carolum Citum in causarum patrocinio scitissimæ dexteritatis.

MAximus ingenio, Cite, consilioque sagaci
Facundum eloquio vincis Atlantiadem.
Est tua difficiles laus hæc dissolvere nodos;
Li-

Litibus invisam corripuisse moram.
Debentur non una tuis Palmaria curis;
Cùm causas superat qui citò, bis mereat.

L I.

In latrunculum suspendiario addictum funi ob Cereum ereptum comitanti Divinum Viaticum.

DIlueret dubiam famulo quæ lumine noctem,
Cerea divinam fax præitura dapem;
Funeris auspicium misero sublata latroni
Extremam potuit deproperare diem.
Improba nam ludunt si Lampadiphoria Fures,
Coguntur tædam tradere Carnifici.

L I I.

Idem.

QUàm iusta furi Iusta carnifex solvit,
Cui substulit fax rapta lucis usuram.
Ausus nefausta fraude Cereum noctu
Auferre, laqueum ellychnio sibi torsit,
Quid ni scelus funale plecteret funis?

L I I I.

Ad Balthassarem Pisanum Advocatum, & vatem disertissimè elegantem.

QUæ te Legiferæ meritum dat Pindaron Aulæ,
Pieris arguta ludere docta Chely;
Am-

Ambiguo quamquam ſit Juris in æquore Siren,
Dictat Ulyſſeis auribus illa Themin.

L I V.

Ad Eumdem.

THyrreni memorant Faſti, quòd primus ovantem
Piſæus facili fuderit ære tubam.
Hiſtoricis Piſane fidem facis. altera Famæ
Auſpice Te, Pindo iam tuba,& aucta Foro eſt.

L V.

Ad Pompillanum otioſæ vitæ entomiaſten.

FRange pugillares: Muſis indicere fas eſt
Exilium, ut valeam,Pompiliane mones.
Ad phthiſin hæc libris extrita Diatheſis urget:
Læta diu regnant otia: non faciam.
Sollicitis felix caret Ignorantia curis;
Mens labat a ſtudiis pallida: non faciam.
Naumachiam vitæ ſi vis percurrere victor,
Sidera dent Helicem errantia: non faciam.
Deſine: Cornicem vivas longiſſimus annis:
Ipſe breves malim vivere Luſcinias.

L V I.

Ad Gallicum.
Snellius putavit Cometas e Sole prorumpere.

AStrorum ſpurios ignes e Sole revulſos
Aſſeruit vitro Snellius aſtronomo.

Fle

Flexeris ad morem, ſententia proxima vero eſt;
Qui nimium lucet, Gallice, monſtra parit.

LVII.

De Thaumaturga Apoſtolorum Principis Vmbra.

ENtis inops, vacuæ prope nulla lacinia formæ,
Triſte ſatellitium corporis, Umbra ſequax;
Emicat e Petro, & radijs fœcunda benignis
Diluit exangues pæonis Umbra metus.
Morborum fugat Iliadem, Fatique premit vim;
Baiulaque eſt vitæ, pronuba lætitiæ.
Qui vel in exigua molitur Anaſtaſin Umbra,
Hunc agere in terris credite ſecla Deum.

LVIII.

Neapoli ſemper floruit Romana Religio.

PArthenopes ſi cana Fides numquam excidit Aris, Inter Sacra Cimelia colitur.
Ne ſtupeas. Petri nititur hæc Baculo.

LIX.

Caria in Aſia ſcorpiones parcunt advenis, incolas necant.

SCorpius inſidis quem Caria parturit umbris,
Obliquæ præfert ſymbolon Invidiæ.
Mitior externis ſilet hęc, & nulla ſepultis:
Quæ vivunt, vel ſunt proxima, dente ferit.
Crudelem Sacra nequicquam Avertentia flectunt.
Exieris tantum vulnera, ſi moreris.

Au-

L X.

Aurum somniantibus obiectum, morti praeludit.
Ex Artemid. l.1.c.79.

OBlinat illuso si somnia Phantasus auro,
Pallida fatalem praecinit umbra diem.
Nugae: qui nimium rapto vigil excubat auro,
Ille sibi certum foenerat interitum.

L X I.

In Suram Monophilosophum.

VNi Sura sibi sapiens, sibi discit & uni.
Quod mirum: nulli parturit invidiam.

L X I I.

In obitu Jo: *Baptistae Spinelli Fuscaldi Marchionis: cuius in gentilitia Tessera, Spina & Stella.*

SUmmus Justitiae Praeses, reus occidis Urnae,
Scilicet in cunctos Mors agit aequa forum.
Sidereae quamquam niteant in stemmate Spinae,
Urit hiems spinas, sidera mane ruunt.
O cineri dent Fata tuo Spinelle favillam.
Indita Divino quae dedit astra Rubo.

Con-

LXIII.

Concha oscitando gemmascunt.

NAtura Conchis deses oscitabundis,
Et fulgurito rore parturit gemmas.
Imitatur hæc exempla Candidatorum
Iners propago: ad ostiarium fixi
Aulæum, hiantes vota Principum captant.
Sors sæpe desultorio favens ludo,
Supina macris ostrea Titulis implet.

LXIV.

Diocletianus abdicato Imperio, ad hortorum culturam transijt.

EXutus Trabeam post tædia longa Diocles,
Induit hortensem Rusticus agricolam.
Efferus Eumenidum lictor, Mundique Tyrannus
Otia sic saturis cædibus asseruit.
Debuerat tellus in Thebanam hiscere messem:
Auguinea hæc fuerat Cæsare digna seges.

LXV.

Ad Regium Consiliarium D. Fulvium Caracciolum, omnigena litteratura expolitum.

NEc nomen Tibi laude caret doctissime Fulvi,
Olim in Romanis Nobile Consulibus.
Grande Togæ decus, & Themidis Mens integra, Legum
Æqua jubes vigili sciscere jura Foro.

Astrææ

Astrææ lateant si sidera, Curia desit;
Ipsa etiam sileant Rostra, Senatus eris.

L X V I.

Exhortatorium Procillo adolescenti.

Votis nil medium sedet juventæ,
Extremis trahitur periculosis;
Et pravi docilem indolem profligat.
Ni cum mente geras, Procille, vires,
Ad pistoriam aget molam libido.
Sampsonem recole, Herculem comatum.
Dum fidit male Dalidæ capillum,
Cæco debuit impotens amori
Vitæ ludibrium, probrumque famæ.
Fallunt deliciæ, jocique fallunt;
Et fallit vigilata nox fritillo.
Vix brutos animæ retundit ictus,
Qui somnos etiam timet Ferarum.

L X V I I.

Cloelia Virgo cum obsidibus ab Etrusco hoste noctu per Tiberim Romam redijt.

Sævitiem hostilem, atque adversam fluminis undam
Cloelia victrici eludere visa fugà:
Castrorumque per excubias tranare tumentem
Virginei ductrix agminis ausa Tibrin.
Nare nec investis voluit; nam nuda, periclis
Obvia se mergunt arma Pudicitiæ.
Eripuitque metum socijs, sexumque puellis;
Patria remigium præbuit, ira ratem.

LXVIII.


Ad D. Cæsarem Natale ex primario causarum Patrono, Rationarium Præsidentem.

Cæsaris ingenium sortitus amantibus astris,
In rem vertisti nominis auspicium.
Omnia vestigans nam commentaria Legum,
Vicisti dubio plurima bella foro.
Et calamum, & gladium pugil exeris omnibus Aulis:
Dat calamum Pallas, dat Themis & gladium.
Cæsaris hoc non Cæsar habes, quòd scribere laudes,
Cum numerum excedant, non potes ipse tuas.

LXIX.

Ad Antonium Cappellam Archiatrum præstantissimum.

Pæoniæ reseras dum docta Lararia Divæ,
Te Genium magni credimus Hippocratis.
Acre vel in morbis præfers divinus acutis
Judicium, & certa digeris arte crisin.
Ad tantam duxit labor insuperabilis ἕξιν;
Cultaque mens doctis ingeniosa Sophis.
Me meus urget amor Te semper habere propinquum;
Longinquum ut malim, me tuus urget amor.



LXX.

Ad Carolum Pignatarum bis Prothomedicum, eruditè intelligentem, & gratiosum.

DUlce meæ, fato jam jam properante, senectæ,
Delicium simul es Carole, & Auxilium,
Mens Sophię, vitæque ingens tutela labantis,
Cæca potes nigræ obtundere tela Deæ.
Quid? quod tanta tuæ vis est, & gratia linguæ,
Ægris ut bene sit, vel male cum valeant.

LXXI.


In perditissimum aleatorem.

PRædiaque, & census, rem denique prodigus omnem
Ludo insumpsisti: vis sine lite mori.

LXXII.

Ad Neapolim post Terramotum non emendatam in moribus.

TErrita adhuc peccas; stupidoque Neapolis ausu
Nulla times Erebi fulmina, nulla Chaos.
Ah vereor, Cælo ne vindice tota dehiscas;
Et nova te faciant crimina Necropolim.



De

LXXIII.

De Branulo solerter provido.

MVltus agens operum, æstivo cum Sole maderet,
Lintea nec queis se tergeret, ulla forent;
Branulus appensum manibus mantile lavandis,
Sudatus tepidam uertit in interulam.
Implicuitque humeris medium, mediúmque revolvit,
Ne bonus argueret congrua furta dolus.
Naturæ nam jura docent, ut lina tegendo
Sint nudo potius commoda, quàm madido.

LXXIV.

Bombyx Avaritiæ symbolum.

EGerit ambesas in fila gracillima frondes,
Vdaque net Bombyx viscera folliculis.
Textrinamque suam tacita molitur in umbra;
Ipse sui bustum velleris, ipse faber.
Quò tamen hæc? nimium solers in damna laborat.
Ac male pectendum deserit ales opus.
Par etiam cupidos mos obtinet inter Avaros,
Reficiunt alios, cùm sibi deficiunt.

LXXV.

Ad Florum,
De Grypho philosopho ebrioso.

ESt locus Illyrico, CALICES, dixere Coloni;
Hic natum fas est credere Flore Gryphum.

Dolia cui tectum; cui dum mens devia potu
Fallitur, Oenophoro surdior ipse suo est.
Et sapere hoc jactat supra commenta Stagyræ:
Ceu pecudi natam Sannio mordet aquam.
Quod sapiat vivens, nulli suadebit amico.
Dicemus sua post funera Diogenem.

LXXVI.

Ad Albium in prosperis rebus elatum.

NE nimium fidas opibusque, & fascibus Albi,
Fortunæ frons est blandula, cauda ferit.

LXXVII.

In honorario funere Mariæ Aloysiæ Borboniæ, Hispaniarum Reginæ.

DUlce decus, Famæque heroidis inclyta Princeps
Invida te subiti funeris umbra premit.
Austriacæ nondum dederas si Phosphoron Aulæ,
Cur cita nox properis Hesperon ursit equis?

LXXVIII.

Ob gelidam lactis potionem in extremum incidit morbum.

LActeus ætherio Junonis ab ubere rivus
Astra dedit Cælo, lilia sevit agris.
Fabula. Borbonin lac funere mersit acerbo.
Hesperus indoluit, Lilia mors rapuit.

De

LXXIX.

De Borbonijs Lilijs.

QUæ neque nent; alto neque Lilia flore laborant.
Heu Lachesis fuso vindice neta cadunt.

LXXX.

Mense Februario obijt.

IUre luit curtæ Februarius omina lucis.
Scilicet Augustam sustulit ante diem.

LXXXI.

Eadem moriens hæc ad Regem.

CArole, Fatorum invidiam queror ægra, quod a Te
Dividar, & nullo pignore coniugij.
Æternam cineris tamen experiere favillam.
Gloria nam mihi sat magna, fuisse tuam

LXXXII.

*Franciscus Navarræ Rex,
cognomento Phœbus ob oris elegantiam, hausto per musicam cannam veneno interijt.*

MAgna Navarræ Rex Gentis gloria, Phœbus.
Hoc nomen pulchri fecerat oris honos.
Dum canit, & resonis ludens agit otia cannis,
Hausit lethiferam proditus inde luem.

Proh scelus infandum ! hoc bifidæ fraus intulit Aulæ,
Ut Phœbo parerent musica Fata necem.

LXXXIII.


Vitellius Cæsar designatus ad cædem, Pistore & Coquo comitibus fugit.

QUò properas per tela, per insidiasque Vitelli,
Nulla cohors vigilat si tibi fida latus?
Vile satellitium cur nam turpissime tecum
Pistorem hinc comitem ducis, & inde Coquum?
Anne tuam obsonas ignominiam? anne Minervæ
In patinis alium cudere vis clypeum?
I tamen, i lanijs septus: iam posceris ingens
Bestia, Tænario victima lauta Jovi.

LXXXIV.

Nero binos e crystallo calices fregit, ut sæculum puniret suum.

VLturus Nero vim Procerum, Romamque rebellem,
Nequa suos ætas luderet in calices:
Hos fregit præceps in fata, sibi ebrius uni;
Exacuitque sui sanguinis ira sitim.
Tam fatuè indignatum Aulæ quid mirer? eodem
Ille loco duxit vivere, quo bibere.



Va-

LXXXV.


Varia lacrymarum diathesis.

NOn eadem lacrymis eſt gratia, non ſapor idem:
Eliciunt madidis crimina ſæpe genis.
Quàm ſordent ſi mœſta ſuum flet Cypris Adonin?
Si queritur refugos indiga mœcha procos?
Luget avarities pelago damnata rapaci:
Luget in hoſtilem tardior ira necem.
Atra canit longum ſibi Deſperatio leſſum,
Fellea ſtyx gemitus exprimit invidiæ.
Una ſapit mel, & una ſibi venale meretur
Empyreum, ex oculis lacryma Magdaleis.

LXXXVI.

Argenteos Lychnuchos moriens Epiſcopus Clinico ſuo teſtatus.

LYchnos ab arte divites, & argento,
Medico, ſine ſacris, Præſul hoc ſuo munus
Legavit, & qua mente? liberè dicam:
Quod ſæpe fallax Pharmaucetriæ praxis,
Ad Cereos, faceſque pertrahat vivos.



LXXXVII.

In Eunum
domestica Bibliotheca furem.

EUne trifur, quadrifur, veterisque Nepotule Verris,
Quin in te vindex Tullius esse velim?
Verrinus tibi mentis adeps, Verrina novasti
Mendax ingenio, sacrilegusque manu.
Doctrinæ in pelagus non uno ductilis hamo
Ausus es insanum extendere verriculum.
Quid precer ô fraudum meritis, atque unguibus istis?
Pallas inexpleta Gorgone te jugulet.

LXXXVIII.

In Eumdem.

INgenium acutis Eunus in digitis habet,
Voratque libros helluo.
Adeone sapiens? immo Mercurium supra,
Fur litterarum est omnium.

LXXXIX.

Idem.

LAtrunculis certasse dixerim Stellas,
Cum prima vitæ semina hausit ad pestem
Eunus Sophorum, injuriamque Musarum:
Collega murium, & voracior blattis.
Immane librimordicam famem pascens,
Ipsam eruditis rapere posthumam vitam

Ag-

Aggreſſus, expilaſſet integrè thecas;
Ni plena furtis arca ſubdolam fraudem
Vi Superum aperta Judici reſignaſſet.
Nulla eſt Sceleſtis latebra tuta, ſe produnt.
Penus rapinæ deſtinat Reo cippum.

X C.


In eumdem manuſcripta depeculantem.

SCripta manu commenta Eunus quò rapta laterent,
In foricam merſit naufraga. Cacus hìc eſt.

X C I.

Tiberius Cæſar
Contumeliam Cælo dedicavit.

TIberium ad hæc portenta compulit terror;
Ut pollices exiret, & truces ſannas
Populi ac Senatus, execrabilis Myſtes
Fatuè dicavit Contumeliam Cælo.
Parum Tyranno fuerat, abditis Aulam
Fœdare Capreis, Cæſaremque ſeceſſu
Mergere nefando, fluctuantibus ſtupris,
Inceſta ſcelerum probra ni ſuam in laudem
Vertiſſet, Ara nempe teſte famoſus.



XCII.

In Bibulum importunè blateronem.

DIj melius, quàm cum Bibulo unã demorer horam,
Multa diu garrit somnia, multa rogat.
Ceu pilulas, ac pharmaca de folijs Calapinis
Hauriat, in segnes egerit usque logos.
Mœroremque animo, atq, moram simul auribus affert;
Diluvij os credam, nam sine fine loquax.

XCIII.

Lycidas in naufragio, Patris cadaver amplexatus, pro tabula ad portum appulit.

CUm Lycidas immane furentibus obrutus undis
Palleret tumido proxima fata mari,
Incidit in Patrem extincta jam luce natantem,
Et simul o dixit, commoriamur, amans.
Amplexus tamdem, tabulamque in funere nactus,
Exijt æquoreas morte juvante minas.
Obstupuit Natura, diu, nimiumque Parentem,
Qui gnato vitam redderet exanimis.

XCIV.

Ad Linum.
Continuis Podagra aciculis asperatum.

Poti nę vini quidem odorem tolerant.

DIminues acrem podagræ insanabilis iram,
Clitorij biberis si Line fontis aquas.

Ad

XCV.

Ad Euctum Ludimagistrum,

HOc inter Latiæ discenda crepundia linguæ,
Fac altè pueris hæreat Eucte tuis.
Esse unum MORIOR non declinabile verbum:
Pluralis nullam nominis esse Fidem.

XCVI.

Ad Carpum,
De abruptis Nobilium pallijs ad ostentandum pugionis manubrium.

PAllia cur Equites a tergo scissa fenestrant?
Quid facit in lacero, Carpe, lacuna sago?
Scilicet ut capuli tornatum hinc pugio fungum
Exerat, ad subitam promptior ire manum,
O mores! fuerat Cynicis pannosa cicatrix
Opprobrium; nunc est gloria Patritijs.

XCVII.

De tribus pueris ob reiectam auream Regis statuam, in fornace hilariter ludentibus.

ISacios Pueros quin mirer Olympionicas?
Risit ubi verno florida rore Fides.
Geryonem vicere. Minor domito igne triumphus;
Plus Regem, ipsum aurum plus superasse fuit.

XCVIII.

In Demadem Græcia Rhetorem catillonem, & lurconem, ac nonnisi ventrem, & linguam. Ex Antiphan.

DEmadis ingluvies, & inexsaturabile guttur
 Omnia devovit lucra diserta gulæ.
Quot nummos vafer e causis emungeret actis,
 Sordidus in Venerem, in pocula, census erant.
Clepsydras, fundosque liguriit; ac sibi præter
 Ventrem unum, & linguam, nil superesse dedit.
Dedecus hoc quantum o doctæ doluistis Athenæ?
 Vestrum Oratorem vivere ventriloquum.

XCIX.

Bina Statuæ e marmore, motu terræ incolumes in Templo Soc. Jes. altera Davidis, altera Hieremiæ.

IEssidæ quæ jam juveni molita triumphos
 Funda, Philistæum straverat Enceladum;
Vim lapidum ingentem eludens, iterum ausa tueri
 Marmoreum Templo præcipitante Ducem.
Servant Fata fidem. Victor ne vindice saxo,
 Scissa ferat pugnæ Saxeus arma suæ.



C.

Mœsta canens olim Solymis Epicedia vates,
In ſtupidas torvà ſculptus ab arte genas;
Rudera cum ruerent divulſo immania tecto,
Nulla laceſſito in marmore damna tulit.
Scilicet ad tantæ ſtetit integer omina cladis,
Saxea ne fluxas lumina dent lacrymas.

C I.

De Cippo ineptiſſimè in æquivocis gratioſo.

INcogitato Cippus animo,& inſulſo,
Argutiarum noſſe ſe putat fontes;
Ubi verba reddit torta frigido ſenſu,
Quæ ſub latranti Sole congelent muſcas.
Tardum increpabit,ſi popoſceris Turdum;
HORtenſium te, ſi perambules Hortum:
Verremque dicet ambulacra Verrentem.
Optes Cucumerem æſtate,mittit ad Cumas:
Optes per hyemem liba Mexicanorum,
Ipſo e Cacao ludicros ſales lingit.
Alias perinde putidè vomens nugas,
Abrumpit otium,& ſilentium ronchis.

C I I.

Pervanum argentum non liquescit, si follibus excitetur ignis, secus si ventis. Ex P. Acosta.

POtosij argentum, quæ flamma cietur ab Euris,
Non quæ conflatis follibus acta liquat.
Chymicus hinc discat: famulis Natura metallis
Imperat, indomitum Ars irrita tentat opus.

C I I I.

Caules in Belgio ad aspectum purpurei.

BElgica purpureo tellus fert germine caules;
Nec minus herboso e germine viret olus.
Haud aliter picto quisquis se jactat in ostro,
Si radix meriti sordida, caulis erit.

C I V.

Cicadæ amputato capite diu supervivunt, & cantant. Ex Cardan. l. 7. de var.

CAntandi rabies agitat tam blanda Cicadas,
Ut vel conciso diu resonent capite.
Non est quod mirer. Plures nam carmina ructant,
Nulla quibus mentis micula, vel cerebri est.





EPIGRAMMATON

LIBER IX.

I.

Ad B. Virginem Puerperam, ut nato Deo lac porrigat.

MAter, Virginei Mater quæ Numinis altrix,
  Hiberna Superùm gaudia nocte paris;
Prima tuus, tuus ah suspiria jam dedit Infans;
  Et sitit uberibus pendula cura tuis.
Lacteolos age pande sinus, age prome papillas;
  Ebibat ut tenero parvulus ore Puer.
Junge genas amplexa genis, rape & oscula gnato:
  Elice lac mammis largius, elice cor.
Divino o quantum liquor hic arridet Amori!
  Florem animæ redolet lacteus iste tuæ.



I I.

Deus recens natus, Ænigma.

Cælicolum flet Risus,& alget amabilis ardor.
Indiget ah brutis nudus anhelitibus.
Naturæque Parens, æternique arbiter ævi,
Vagit adhuc Puer,& vernula temporis est.
Astrorum dum regnat,Olympo excelsior ipso,
Natalem pecori vix habet hospes haram.
O quis tanta potens molitur adynata Mundo
Argumenta? Deo in paupere dives Amor.

I I I.

Idem in Præsepi a Magis adoratus.

FAbula minores sileat Herculis cunas,
Sectasque vel nulla anguium minas clava.
Indutus hominem infans Deus, statim pugnax
Lactente ternos Regulos manu vicit.

I V.

Ad Buterij Principem Carolum Mariam Carafam,inter Hispana Aulæ Summates,tum generis luce,tum sapientia laude, in primis Magnum.

Ob Ponderationes in D. Bernardi librum De modo rectè vivendi.

NOn ego pæonias Cressis e vallibus herbas
Demoror, aut Coi jatrica dona senis.

Car-

Carrafide majora aperis commenta salutis,
Unde bibat morum Sanctior Aula melos.
Nempe Machaonias nugas dediscere fas est,
Altera dum vitæ Cælitis orsa doces.
Flectat ut heroo vitiosa pathemata voto,
Qui colit ingenuo Numina summa metu.
Eludatque vices Fortunæ, Orbemque labantem,
Mentis honos, casti strenua mens animi.
Facundæ Nardum stillat vis multa Suadæ;
Multa stylo pietas ubere, multa Charis.
Cisterci Indigetem lepidum, doctumque fatemur,
Mellifluum calamo sed magis esse tuo.

V.

De Lucillo Oratore, qui suis tantùm commentariolis saperet.

IPse sibi Consul Lucillus, & ipse Senatus,
Jura suo temerè sciscit inepta foro.
Invidiæ vertit, si quid bene Censor in aurem
Præmonet; & falsis laudibus emptus ovat.
Ergo age si cudit monstrosa vocabula, suffla;
Suffla, ridiculis si tumet antithetis.
Panthoidem dicet pelagi gentem, Orphea gryllum;
Mexiacum potum, sorbilem Adonin. ad hæc
Suffla iterum: palpo irrisus gaudebit amico.
Farta strophis faciet mantica Democritum.

VI.

Ad Parthenopæum.
Jatrophysicum, ut Selenographiæ vacet.

NOscere vim Lunæ non ultima cura Galenis,
Ipsa regit menses critica, & ipsa dies.
Ipsa ciet pelagi refugis in fluctibus æstum;
Excitat alternas aëris ipsa vices.
Luminis uberior, cum Sole potitur opimo,
Ostrea plus succi, plus quoque molis habent.
Anne superficiem salebris corruget? an oris
Aggestis labes exoriantur aquis?
Hæc Telescopijs ultro rimanda relinquas.
Non facit ad medicas insita forma theses.
Rheumaticos torquet, pleno si turgida cyclo:
Multus & hydropem dat tumuisse labor.
Plena tamen facilem juvat opportuna catharsin.
Utilis emisso sanguine vena salit.
Cumque Quadraturis insistit, acerba malignis
Febribus, & siccam exasperat unca phthisin.
Si minus hæc variæ explores phænomena Lunæ;
Non Lucina ægris, Parthenopæe, Hecate est.

VII.

Ad Belvederij Principem, Insulæ in Brutijs, cui nomen Adamas, Dominum.

PArva hæc Cyclas, Ocellus Insularum,
Emersit Calabris nitens ab undis;
Tyrrheni decus Æquoris, voluptas
Ingens Nereidum, benigna Nautis;


Cui

Cui nomen Thetis indidit venuſtum;
Neptunique Adamas amat vocari;
Ut vel ſplendida fulguret, ſuoque
Vectigalia Principi rependat;
Vel cenſu famuletur annulato.
O Lux Carrafidum, recenſeas hoc
Heroum inter Imagines tuorum,
Quòd veſtro Generi ipſa ſaxa gemment.

VIII.

Ad Eumdem Aurei velleris Equitem.

HIſpanam ſi quis Colchon ſibi ſpondet Jaſon,
Emeritus velis naviget ille tuis.
Alta per Europen te Mens circumtulit omnem,
Impatiens ſegni ducere Sole dies.
Moribus hinc novus,& genio decor additus, & ſe
Expolijt multis indolis ardor aquis.
Quamquam ſumma tui ſit gloria ſanguinis; unus
Summa auges veterum ſtemmata,vincis Auos.
Commendatque ſilex tibi penſile pectoris aurum
Lydius,& Virtus vellera nevit ovis.
Amplius hoc: Aries Muſis præit aureus annos;
Et cum digna geras Carmine, Carmen amas.



I X.

Ad D. Martium Orilium, tum generis, tum bellicæ laudis luce clarissimum.

AUrea nobilibus cumulans Insignia Fastis,
Visus ad armisonas ferreus esse tubas.
Scilicet assuetum virtutem acuisse periclis,
Te cupijt summum Belgica Nympha Ducem.
Nam prope tot memoras annos, quot prælia; nec Te
Expers præteriit pulveris ulla dies.
Epimetrum diu Fama tuis hoc laudibus addat;
Martius es merito nomine, Mars gladio.

X.

Epitaphium
Jacobi Capycij Galeotæ, in supremo Senatu e Latere Regentis.

MUsèum Famæ brevis hæc tegit Urna togatæ,
Et tralatitio πανσοφον ingenio,
Capyciæ summum Gentis decus; abdita Legum
Dogmata qui triplici prompsit aperta Foro.
Diù Patriæ pater, & vindex rectissimus Æqui,
Ipse etiam, cum jus diceret, Hector erat.
Excijt invidiam lux tanta, doloque sequestro
Alter Aristides pertulit exilium.
Invitamque obijt mortem, quòd criminis expers
Nec fictam potuit sustinuisse notam.
Diluit hanc umbram victrix, vertitque triumpho
Posthuma laurigeris gloria fausta tubis.

Or-

Ornamentum ingens, columenque insigne Coronæ
Regius emerito lemmate sanxit Honor.
Epigraphen virtus illustri inscribe sepulchro:
Heroum laus est maxima, sic cadere.

XI.

Ad eiusdem filium Julium in Judiciaria Toga eruditè doctum, integrè pium.

SI Curios, veteresque Numas, atque omnia Legum
Numina vis prudens discere, disce Patrem.

XII.

S. Felix Martyr, Mercurij, Dianæ, Serapidis statuas sputo in pulverem comminuit.

MErcurium, Triviamque, & olentem cæpe Serapin
Ne coleret, stygiis debita signa focis,
Conspuit hæc Felix; simul ulciscente saliva
Obruta pulvereo procubuere solo.
Una Deum furum, nemorumque Deam una Dianam,
Una tuum mersit guttula, Nile, Deum.

XIII.

Canem Romæ loquutum expulso Tarquinio Rege. ex Plin. l. 8. c. 41.

TArquinium cum Roma furentibus expulit armis,
Humana vox Canem induit.
Degeneremque odijs, læsique & Juris, & Ostri
Portenta damnarunt Reum.

Invidiosa Pios tantùm allatrat Aula; Superbis
Ipsi obloquuntur & Canes.

X I V.

Hieronem expositum ut Serua filium fœminæ, Apes ad Regnum nutriunt.

SErvilem fortunam Hiero de matre luendam
Nactus,& a cunis invida fata suis.
Traditur infelix silvarum amplexibus infans ,
Nudulus heu rabidis præda voranda lupis;
At nemori pietas non defuit: Hospitem alumnum
Provida luteolo nectare pavit apis.
Quàm variè ludit Genesis scenographa Regum!
Alba nocet, casu vertilis atra juvat.
Exitium multis tulit illita gemma veneno ,
Huic vitam,& dominum mella dedere thronum.

X V.

Ad Vatollæ Marchionem D. Dominicum Rocca, Vatem scitissimè lepidum,

Qui Metaphrasim etrusco carmine, ex Senecæ epistolis meditatur.

ROcca tuam subeat Polyhymnia firmior Arcem ,
Temporis hostiles non subitura vices.
Fama iterum Senecæ juvenes emerget in annos.
Si tanti recoquas [illegible] ingenium.
Debuit ingrato jam bustum exangue Neroni :
Vitam aliam Aonio sanguine metra dabunt.

XVI.


Ad Olmum
De Symmaco Causidico popinone.

Litibus addictus per Rostra forensia, debet
Symmacus Oesophago non nisi jura suo.
Nil satagit, festosque dies indicit amicis;
Et sibi pro duplici Codice mensa sapit.
Villatum revocent si prandia, protinus urbem
Deserit, & bijugis rura revisit equis.
Tamquam herciscundis ubi finibus arbiter adsit,
Sedat inexpletæ jurgia rauca gulæ.
Vis tamen ut causæ jugulum petat, Olme, clientes
Fac cœnæ famulos esse, vel esse coquos.

XVII.

Actius Poëta parvæ Staturæ, colosseam sui statuam in Musarum Templo posuit.

Curtati segmentum hominis, sub paupere Luna
Naturæ genitum deficientis opus,
Actius, exculpi vastumque, paremque Colosso
Sese Pieridum jussit in æde Mimam.
Non alia potuit se prodere laude Poëtam.
Nanus erat, formæ fabula magna suæ.



XVIII.

Aucupium hominum pulchritudo.
ex Clem. Alex. lib 3. Padag.

FOrmosis male prodimur periclis;
In picto bibimusque Colchin auro,
Pomi filia Mors venustioris,
Fœcundam Herciniam intulit malorum;
Quam sæpit laqueis Avernus Auceps;
Viscoque illecebrosus ominoso
Irretitum oculum rapit, necatque.
Princeps Assyrio superbus ostro,
Vix Bethulidis annuente nutu
Loricæ immemor arsit, ebriumque
Devovit caput, evomens cruento
Libatum jugulo Decoris hamum.
Casta mysogynus fuga triumphat
In tuto Pudor; Innocentiæque
Pars est maxima Cæcitas honestæ.

XIX.

Domitiani Cœnatio, Aurea Mica dicebatur.
Ad Burrum.

ASsiduus poscis cur cœnula Dommitiani,
Aurea sub tenui nomine MICA fuit?
Splenduit emunctis Populi corrasa lucellis.
Ex Inopum micis fercula Fastus agit.

XX.

Isidis fabula de Mundi molitione, Heuresis, hoc est Inventionis, & industriæ magisterio. apud Trismegis. lib. Sacr.

Heuresim genuit coniux Natura laboris;
  Isidis o quantum fabula moris habet!
Hinc rudis ad dociles Orbis sese induit artes:
  Hinc campis segetum copia, jura Foro.
Una præest cultis princeps Inventio Regnis;
  Pronuba Fortunæ dextera, mentis apex.
Tuta per ancipites casus parat otia Paci:
  Aligeram docet ad prælia fausta moram.
Nonne novos Mundo Mundos, nova sidera Cælo
  E menso victrix addidit Oceano?
Ingenijs quàm lauta penum largitur acutis?
  Quàm vitæ varias parturit illecebras?
Nunc creat heu nimium pellex Inventio Fures:
  Isidis o quantum fabula fraudis habet!

XXI.

Nulla pars terrarum tot Vulcanios montes habet, quàm America. 14. in Chilensi Regno, totidem in Peruano, tres formidabiles in nova Hispania.

Nulla tot igniferas tellus ardescit in Alpes,
  Adsita quàm Mundi finibus Ammerice.
Namque ubi fœcundis aurum defossa fodinis
  Gleba parit, stygio fumat anhela rogo.
Divitijs par & vitijs est nomen. Averno
  Proximus hinc habitat fundus avaritiæ.

Ad

XXII.

Ad Gryppum,
Vt Adulatores caveat, Fortunæ mancipia.

PAlpones quodcumque jubes audere paratos,
Cryppe fac e laribus longiùs esse tuis.
Turpe quibus lucrum est, aliena vivere quadra:
Numquam eadem, innumeras frons creat una genas.
Non te, sed tua venali poppismate prensant,
Si penus effusas prodiga ructat opes.
Blanditijs constant, ubi spes sublucet agelli:
Glutierint ubi rem, vel sua vota latrant.
Lambere si vetitum, mordent: & semper in ictu
Improba, mel cupidis lingua, fel est saturis.

XXIII.

Planta malencholica in Indiæ campis, noctu lucet, & floret: sub auroram intabescit.

ABdita cum medicas fallant hypocondria curas,
Seu tumeant, rugas seu male torta trahant;
Et nihil empyricis Helmontius excoquat ollis,
Nullaque Willisij pharmaca pota juvent.
Mœstitiæ solamen erit, quæ geminat Indis
Planta per alternas hispida, pulchra vices.
Nam noctu ver semper agit lætissima silvæ;
Æmulaque accensis provocat astra comis.
Aurora nictante, hiemes iterum induit, & se
Decolor in vidua tabida fronde tegit.
Visa latet, non visa micat. Sic gaudia Cælo
Qui debent, hilari nocte dies redimunt.

Phi-

XXIV.

Philippo Macedoni a puero in stellas jaculanti, Aster miles oculum eruit.

NOn impune petis Macedùm Cœlestia Princeps.
Impendent capiti quæ jacis arma tuo.
Astra lacessentem jaculis, multabit & Aster;
Cui vindex etiam nominis omen erit.
Eruet hic oculum: culpæ par pœna superbæ,
Unde luas Genij fulmina bruta Cyclops.

XXV.

Divus Franciscus Borgia e Sorietate Jesu.

Anag. purum.

Custos, ac cauta defensio huius Regis Iberi.

C*Vstos hujus* es, *ac defensio Regis Iberi*,
Temporis adversas vincere *cauta* vices.
Magnus Aragonij pius olim sanguinis Hæres,
Nunc patrocinio Maximus Austriaco.

XXVI.

In Judam Iscariotem.

HOrruimus Judæ ad lucra infelicia. Numquam
Pauperior, quàm cum vendidit ipse Deum.

XXVII.

In Babium per Villarum delitias excurrentem, genio semper fastidito.

HElluo pigritiæ, atque animo morosus omisso
  Bæbius, hortensem ruminat esuriem.
Se fugit, & sequitur: vigil ad sua tædia stertit:
  Odit, amat nugas ipse, nec ipse suas;
Posset & in rerum natura nullus haberi,
  Ni varium hinc ageret Motus, & inde Quies.

XXVIII.

Piscis in Frisiæ littore captus, dorso in concertantium navium speciem expicto.

OCeani figmentum ingens (vix sæcula credent)
  Squamigeras audax educat unda rates.
Pistrix una vehit pugnacem in tergore classem;
  Fictaque velivolæ cætula bella cutis.
Lineolis virgata suis, reditusque, fugamque
  Miscet, & alternas ductilis umbra minas.
In vivas si mostra migrant Neptunia naves,
  Jam nova piscoso Mors metuenda mari est.

* *
*

Ad

XXIX.

Ad Gaurum.

Hæsimus ad commenta tui facunda Libelli:
 Claudit enim incisum Lunula multa stylum.
Ut tibi sim similis, da Gaure, parenthesin utar:
 Libera cum fuerint otia, deinde legam.

XXX.

De Bombyce.

IN celeres sese Bombyx tamdem induit alas;
 Desinit ut vermis repere, discit avem.
Optima regnandi lex hæc scitissima: felix,
 Servitium expertis, obvenit imperium.

XXXI.

De Eodem.

SI pereant taciti globulis Bombyces in ipsis,
 Optima sunt facili stamina neada manu.
Folliculis ubi clam ruptis volucrum otia prensant,
 Textrinarum operis vilia fila trahunt.
Immoriens benè ni cœptis firmissima virtus
 Hæreat, emeritum cætera, vilet opus.

XXXII.

De eodem.

CUm satur adrepit Bombyx, gaudetque genistis,
Vermineique pudet nominis, ales hiat.
Ales hiat, nec avis; dubiæ levis institor auræ,
Vix tenuem formam papilionis habet.
A teneris properet Pietas assuescere Cœlo:
Serius in pennas hiscere, ludibrium est.

XXXIII.

Horologij Vmbra Hypocrisin exprimit?

VErsilem Amicorum genium, moresque bilingues,
Hæc oculos index temporis umbra docet.
Nam tibi dimensas ad Solem nunciat horas:
Nulla tibi, cum Sol præterit, Umbra silet.

XXXIV.

Mexicani certantes, pedibus sagittas jaciunt.

DUm ludit, pedibus vibrat, regeritque sagittas
Mexica Gens, tanta dexteritate viget.
Usque adeo primis cum robur ab unguibus auctum est,
Pes etiam discit vincere, non fugere.

XXXV.

In Novitiam Quietistarum hæresim.

Ficta fides quamquam ignavis obdormiat umbris,
Atque animi nullas exerat usa preces;
Orandi studium docet, & divina recludit,
Unde frui possit vel sine mente Quies.
Illuso mendax hæc gannit Hypocrisis ausu,
Damnatæ Siren pronuba desidiæ.
Quid sibi non timeat Pietas, si credula peccat?
Aut ubi fraus non est, si dolus ipsa Fidès?

XXXVI.

Ismenias Nicomacus, Tibicinum manus gemmis ornabat; ex Plin. l. 37.

Ismeniæ non unus abnepos Aulam
Tibicinum implet blandientibus buccis;
Famæ libido insana pascit Hydropem;
Tumidisque laudum dulcè fallit ampullis.
Veri alta vox vel nulla, vel sonat raucum.
Mendaciorum in pretia, qui dolo plaudunt,
Plenaque palpant Principes manu, gemmant.

XXXVII.

Facile Sapientiæ compendium.

Ingenium felix aliena insania reddit,
Utere. Sic sapies tutius, & citius.

Ascle-

XXXVIII.

Asclepij Mors e potu frigida, cùm Pompei Magni Medicus per 72. annos Oceanum enavigasset.

PEr Libycas Syrtes, madidique Ceraunia Mundi,
Vicerat edomito naufraga monstra mari.
Rexerat & magnum medicis Asclepius armis,
Undique piratas dum fugat Encelados.
Cum secura Senex jam duceret otia, lapsus
In puteum, placidis occidit haustus aquis.
Nata domi Scylla est; sitiunt ubi Fata, petenti
Limpida vel Lymphæ pocula, Mors bibitur,

XXXIX.

Ad Franciscum Palmerium Chirurgiæ scientiâ insignem.

DAt meritum decus, & fausti tibi nominis omen
Palma, triumphales pandere nata comas.
Tot Fati exuvias igni, ferroque magistro,
Tabida quot curas vulnera, Victor habes.

XL.

Romano in Foro Martia Statua cum laqueo, contra improbos litigantes. ex Plin.

EX alijs aliæ erumpunt in jurgia lites:
Tende minax funem Martia, tende manum.

XLI.

In Charmum,
ad prandia strenuum, ad reliqua imbecillum.

IEiuno poteris parare cippum,
Si Charmum videas jacente vultu
Tristem, pallidulum, indigum bacillo.
Vix respirat anhelitu; manumque
Ægrè paralysi regit trementem.
Dum prandet tamen, alter, æneusque,
Ac MENSARIUS HERCULES videtur.
Taurum absumeret unus & Milonem,
Thynnumque, Xiphiamque cuspidatum;
Quin & Nereidas voraret ipsas.
Credes ex Samia schola renatum
FLACCUM hoc vivere FERCULARIUM ævo. Eques Romanus.

XLII.

Vnde felix coniugium? ex Alphonso Rege.

QUid auspicatas nuptijs tædas facit?
Sit cæca Coniux, & Maritus surdior.

XLIII.

De Aristo,
qui vestium elegantiam affectans, in lutosam foveam lapsus est.

LAxior ad talos flueret cum vestis Aristo,
Implicitus cæcam decidit in foveam.

Ex l. Iustin. C. de Ædil. §. 1. Emersitque paludatus, movitque cachinnos;
Nam Tunicæ fundum accedere, ridiculum est.

XLIV.

XII. Kalen. Martij Romæ olim Stultorum Feriæ.

QUæ paucos semel in dies Quirinis
Stultorum celebres fuere, mirum!
Post tot sæcula Feriæ perennant.

XLV.

In Causarum comperendinationes.

MAcrobiæ vivunt lites in sæculum & ultra,
Immensumque annum sæpe Platonis habent.
Res eadem arbitrijs variat, Legumque tabellas
Sacra vovet Lucrio Judicis urna Deo.
Victorem, si sera venit victoria, perdit:
Victrix jacturæ est alea, si properet.

XLVI.

Horologium Solare in myrteto.

TOnsilis in ramos, ferroque edocta sagaci
Myrtea labentem dividit hora diem.
Areolæ primo vigilant cùm mane virentes,
Umbra notat varium cædua Solis iter.
Quisquis ades, fluxæ discas dispendia vitæ.
Inter enim myrtos aurula mortis hiat.

XLVII.

In Pappolum curricœnam.

QUò jejuna domi vitet jentacula, solers
  Hac juvat exertam Pappolus arte gulam.
Pingere se lautis sciatherica spondet Amicis,
  Unde decus villis, ingeniumque venit.
I, dubias alijs horas; i digere Soles.
  Recta sat est. Umbras non mea cœna capit.

XLVIII.


Ad Lectorem.

EXossis mihi vox Phœbo balbutit inermi.
  Scribimus has Cynico sed sine dente Notas.

XLIX.

De Absalone suspendiario.

CRinibus Absalon pendet, Fatique satelles
  Ipse sui, ad restim palpitat arboream.
Forsitan ut tanti caveat sibi funeris uncum,
  Comptula venali crine juventa nitet.
Frustra. non uno sævit Fortuna capillo.
  Novit enim mendax perdere calva caput.



L.

D. Agatham novis mammis curat Apostolorum Princeps.

CUr abscissa Agathæ non reddidit ubera, Cœli
Claviger, Hyblæis floridiora rosis?
Usque adeo formosa sinu patuere bigemmi,
Ut fuerint numero congeminanda pari.
Altera dum premerent lac sanguinis, altera lucem,
Visa anceps, quænam lamberet, ipsa Fides.

L I.

Ad Barisciani Marchionem D. Julium Cæsarem Caracciolum, urbanum Neap. Prætorem.

NOn Abavùm te Fama insignem, armisq; potentem,
Nobilior sed amat dicere Fama, Tuum.
Consilijs acrem, ac vigilem Prætura Lycurgum
Suspicit, & famulis Fascibus urbis amor.
Visa uno tecum nasci Prudentia partu.
Est tua jam, quæ laus magna Catonis erat.

L I I.

S. Eventius ædificandæ Basilicæ pecuniam Nerone signatam effodit e terra.

ERuit e glebis numerosum Eventius aurum,
Splendida quo summo surgeret aula Deo.
Pauperiemque Fides ditavit, & ubere censu
Sensere Indigetem rudera scissa Midam.

In-

Insuper hæc, ingens flavis annona monetis,
Sculpta quibus sævi forma Neronis erat.
Optimè & hoc factum, ut qui perdere ferreus Aras
Cœperat, in nummis aureus erigeret.

LIII.

In Plexippum ambigui moris, & fœtidi oris.

NIl mihi sit tecum. Loqueris Plexippe mephitim.
Exhalant hircum singula verba suum.
Altam animi vomicam timeo, pestemque latentem.
Oris enim gravitas æquivocum quid olet.

LIV.

Demosthenes in Neptuni Templo hausto veneno obijt.

INdoluit cecidisse suam Neptunus ad aram,
Quem lingua blæsum, lepidè Demosthena Rostris
Tradiderat facundum, ingens Famæ instar Athenis,
Exitium bibit ipse suum, Cricoque latentem
Mortem acuit, magnamq; animam vi tradidit umbris.
Rhetoris hæc tanti merces. Sic Fata perorant
Non pauci; & calamis cippumque, & funera portant.

LV.

Ad D. Ignatium Samblasium litterarum omnium Prytaneum, ut poëtica sua typis mandet.

PIerijs dare jura potes si musica Mundis,
Et nova Dircææ condere regna lyræ;

Carmina promeritæ quin tradis Aphelea luci,
Ut facias Italis vatibus ingenium?
Carmina Fortunæ eludunt versatilis orbem:
Temporis eludunt carmina docta metum.
Magnus Alexander, vigili cum vinceret ausu:
Maior, cum somno subdidit Iliadem.

L V I.

Agrigenti domum vocarunt Triremem, ubi plures ebrij se navigare putarunt. ex Athen. l. 2.

Qui vates in Olympia recentem
Scripsit carmine Nauticen venusto,
Prædonesque recensuit Liburnos,
Et Prætoria carbasa, & Batavis
Naupegis onerarias & Anglis;
Et quæ Tethyn arant inhospitalem
Monstris navigia, ultimique sulcant
Fines Oceani; simul Celoces,
Et natos maris otio phaselos;
Unam præterijt tumultuantem
Insanis freta per Falerna Cauris,
Vinosoque gravem Æolo Triremem.
Sub tecto temulenter undulato
Compegere reciprocis in orbem
Convivæ pateris. Dedere vites
Antennas Mareotides, metumque
Scissæ velivolum dedere mappæ.
Illam non Hyades truces procellis,
Non Typhon hyemem ferens aquosam,
Crater turbineo sed unus astro
Syrtes impulit in voraginosas.
Cum se naufragio obrui timerent,

Men-

Menſas, ſtragula, mente fluctuanti
Hi raptim abijcere: hi meris precari
Tritones lacrymis, & inſepultam
Votis omnibus amovere mortem.
Tempeſtas hodieque Combibonum
Cœnas hæc cyathis quatit, domique
Bacchæos male mergit Argonautas.

L V I I.

In illud Pindari.

Δικαιωσύνης τὸ χρύσεον πρόσωπον.

AUrea Juſtitiæ facies cur picta ſeveræ?
  An quia pragmaticis pallet inuſta ſtrophis?
An quia ſat dives niteat ſub Judice recto;
  Et pretium ſeſe cenſeat ipſa ſui?
Si fas vera loqui: cum depluit aureus imber,
  Proſtat, venalem degener in Danaem.

L V I I I.

Ad B. V. ſemper Auguſtam Dei Matrem, ſine labe Conceptam.

O Quæ Nazareis properat formoſa roſetis
  Surgere, divini prodroma Solis Eos?
Spe placet; & jam jamque tenerrima nictat in ortum;
  Nec dum viſa animat gaudia, vota beat.
Miranturque hilares nova, nec ſua ſtamina Parcæ;
  Albaque feſtivo pollice penſa trahunt.
Una luem antiquam, & Colubri genitabile virus,
  Et male Edenæo vulnera merſa fimo,
Vertit in exuvias, & Cælitis omina vitæ;

Ipsa sui generis Flos, propiorque Deæ.
Ante chaos, rerumque vices Concepta decoris
Auspicijs, potuit dicere, Mater eram.

L I X.

Nascente Minerva aurum Rhodi pluit.

SIdera vix natæ cunis plausere Minervæ;
Aureaque e pluvia Pleiade visa Rhodos.
Pallida nunc Latijs canit ad cunabula Musis,
Pauperies surdo carmine Næniolam,

L X.

Ad Hermum
de mure instituto ad sustinendum accensum
in cœna cereum.

NEscio quis famulum a cœna mansuescere murem
Edocuit, flexu supplice Lychnophorum.
Dexteritas mihi maior; anhelum ad crimina morem
Sistere, qui menti præferat, Herme, facem.

L X I.

Ad Thessalum.
Velificatione detorta in adversis navigandum.

THessale Loxodromam studeas nisi callidus artem,
Fluctuat ancipiti lubrica vita mari.
Obliquare sinus vento obluctante docemur:
Nec levis est animi flectere vela labor.

Cui

Cui Placitum lex est,& pro ratione libido,
Multa vel in tacitis Scylla latrabit aquis.

LXII.

In Judicem nummarium.

TE Juris æquum Judicem nullus negem,
Nam justa cunctis imperas Clientibus.

LXIII.

Alphonsus Rex vetuit e Caietana Ciceronis olim villa, explodenda saxa deferri.

TOrmentis Aragon Princeps,ne Tullia cavit
Iret in ignivomas diruta villa pilas.
Quanta fuit Latium in Periclem reverentia Regi?
Obsequio coluit saxa diserta suo.
Causidicis decus hoc utinam subsistat in Aulis,
Ne lites onerent glandibus usque novis.

LXIV.

Faber & Vormius insignes Medicochymici, margaritarum conchas leprosas vocarunt.

MArgarides gemmæ sunt divitis ulcera lepræ,
Sic physici censent Vormius, atque Faber.
Danda fides Medicis,non abnuo: sed mihi jurent,
Quòd scabiem hanc manibus mallet uterque suis.

L X V.

De Antiphilo Pictore.

HUmano Antiphilus pinxit sub schemate Gryllos.
Pingeret hoc multos tempore Gryllosophos.

L X V I.

Rhallus Morio fatuissimè dormiens super marmoream urnam stipulis imbutam.

SAxea pulvinum cum sterneret amphora Rhallo,
Imbuit, ut fieret mollior, hanc paleis.
Sedulitas tam stulta & Avaris assidet, auro
Quos vigiles angit pellice dura quies.
Arca tegat quamquam intus opes, ditissima rumpit
Somnia; quæ menti proxima cura subest.

L X V I I.

Ad Pamphilum de Sævino simulatore.

COmica Sævini facies actura tragædum,
Vel Pyladem novit fingere, vel Jonathan.
Tortianimum nullus rimaberis intus Aruspex,
Sepiolæ mores Albus, & Ater habet.
Invidet occultè Socijs, & laudat apertè;
Nec satis ut constet, quos amat, hamat & hos.
Ni protasim vites, supremo flebis in actu;
Cumque tuum jures Pamphile, θηρογραφεῖς.

Her-

LXVIII.

Herba, quæ Terramotus dicta ab Averroe.

E Motæ ſpuriam terræ vapor egerit herbam,
  Quam putris efflato ſulphure gleba fovet.
Porrigit hanc Fatis nimium Natura fatiſcens.
  Una hominum ſterilis Mens, & hiante ſolo eſt.

LXIX.

Thomæ Cornelij epitaphium, qui medica Progymnaſmata expolitiſſimæ Latinitatis edidit.

QUi jacet hic Cinis ex Celſo, Cornelius ille eſt,
  Præ quo alios Tacitos diximus eſſe Sophos.
Commentus medicis quot Progymnaſmata curis?
  Abdita quot calamo ſcripſit anatomico?
Quot Latiæ gemmas venus indidit Attica linguæ;
  Et nitido potuit conſeruiſſe ſtylo?
Divinæ Princeps ut Palladis audit Aquinas,
  Unus erit phyſicæ Tullius ipſe ſcholæ.

LXX.

IUriſperitos eſſe quis Scholaſticos
Auſit negare? in Dabitis arguunt bene.
Præ manibus ipſum penitus Aureolum ſciunt.
Quin Orthodoxos dicerem: at ſectæ nimis
Donatianæ munerantium favent,

LXXI.

Ad Nummulum,
De immortalitate Animæ subtiliter delirantem.

ULtra Philoſopham crepidã quid Acephala garris?
Impie ne pereas Nummule, μηδὲν ἄγαν.
Quò te plus acuis, plus deficis: intima torpet
Vis animę, ſi te febris acuta premit.

LXXII.


Ad Cocalum Equitem iracundiſſimum.

NObilis es, tamen immodica ſi ringeris ira,
Tandem expers capitis Cocale, bilis eris.

LXXIII.

In Byrrhum.

CUm vacuis Byrrhus ſingultiat otia nugis,
Mexica bis haurit pocula, terque die.
Accisamque animam ſtudijs excuſat acutis;
Ingenio vires addat ut ipſe ſuo.
Grammaticus malus eſt: rerum genera helluo miſcet,
Cum biberit libras, aſſerit eſſe libros.



Cra-

LXXIV.

Crateres inscripti dicebantur Grammatici.

Γραμματίκους olim calices plena Hellade dixit
  Ganea, quos bibulis sculperet usa notis.
Mersit in his ferulam, & scuticas potator Erasmus.
  Cum Fidei Scholion præbibit ambiguæ.

LXXV.

In subitariam litterionum plebem.

RAucisonis nulla est Ranis infantia vocum;
  Vix natæ indocili jurgia tusse vomunt.
Luscinijs vox tarda, hilari suavissima cantu,
  Erudit in melicos plumea plectra modos.
Pensitet hoc nondum sellas egressa scholarum,
  Per Samios pubes cautior ire gradus.

LXXVI.

QUi nescire velit Naturæ arcana latentis
  Multa libens, animi plus sapientis habet.

LXXVII.

Ad Franciscum Rhedi
Protophysicum eruditissimè sapientem, ob Opus de Insectis.

MAximus in minimis labor est: Natura fatiscit,
  Cum solers lapidum gemmea puncta facit.

Cum

Cum prope jam nullis animam concinnat, & artus;
Hoc sibi præ reliquis dædala jactat opus.
Non secus argutæ præfers miracula mentis,
Dum genesim,& mores exprimis Entomatum.
Quàm scitè indagas atomos, atque Ouula vitæ
Prodroma, vel tersis coeca microscopijs?
Augur es: antiquam tibi debet Hetruria laudem,
Plus extispicijs clarior ausa tuis.

L X X V I I I.

Ad Eumdem.
ob Libellum inscriptum, Bacchus in Hetruria, festiuissimè disertum.

REgnat Io,Thuscis Te Præstite collibus Evan;
Et ciet ingenijs,& levat ipse sitim.
Seu virides blando quà Thyadas imbuit auro;
Seu quà vitigeno nectare Chiantin alit.
Namque triumphali ramosum tempora serto,
Dat tua per festos ludere Rheda dies.
Et præit illecebras,quas Mexicon haurit odoras;
Quas calidæ miscent Sinica regna Chiæ.
Vesuius at tumido ne deflagret invidus Arno,
Uberiùs lautas liquitur in lacrymas.

L X X I X.

Idem.

IUppiter in Semelen uxorius arsit: Jaccho
Fabula fulmineum hinc credidit esse patrem.
Te,cum Bacchum iterum edideris fœcundus Etruscis,
Dicam Medicei Sideris esse Jovem.

Ad

LXXX.

Ad Nazarium de Caro Jatrophysicum, qui eleganti libello febres mali moris delineavit.

MAligna si lacessat Eumenin Febris,
Nec ulla maculis signa promat in vultu;
Mitesque surdis pulsibus micent ictus,
Totum Galenum, ipsam Æsculapij thecam
Deridet, infectura viscerum fibras.
Tuo Ars libello subdolam indicat pestem,
Secatque, si minus integrè retundit vim.
Genus remedij est, nosse quo cadas fato.
Falli pudendum, non perire Mortales.

LXXXI.

Cujusdam matronæ, in sinistro cordis sinu, parva cochlea inventa est. Scilla in litteris.

LUdicra Limacem, an vindex Natura recurvum
Implicuit læva cordis in auricula?
Crediderim turpem se turbinat in Cochleam Cor
Præmoriens, quantum fœmina si quis amet.

LXXXII.

Ad Josephum Brigantem, in re medica & poëtica peritissimum.

CArminibus nostris non illaudatus abibis,
Docte Machaonia plectere lege lyram.
Psaltria quæ Solymi cecinit jam Purpura Vatis,

Ad numeros revocas ingeniose novos.
Ecphrasis hæc miseris narcosin pellet ab Ægris;
Eludetque tuos Hemitritæ dolos.
Effera * Cissidæ potuit deliria Regi,
Diluere arcanis nam melopoeia modis.

* Saul filius Cis.

LXXXIII.

De Nuptijs Mariæ Annæ Neoburgicæ cum Carolo II. Hispaniarum Rege.

Libemus Horis, Gratijsque libemus.
Hispana nupto Regna Carolo, jam spem
Jubent redire fluctuantibus Mundis.
Felicitas si sera, gratior votis.
Defloruere Lilia, ut ferax Regum
Pietas decora Conjugis Palatinæ
Non defuturam pariat uberem messem.
Benigniore Heroides Neoburgæ
Nascuntur astro, & Austrio parant Cœlo
Martes triumphis auspices, Joves Aris.

LXXXIV.

Idem.

Hesperiis subridet Eos Neoburgia Regnis:
Mox dabit Infantes Solibus ire dies.
Germanam cum faustus Hymen præluceat Arcton,
Nulla premet nuptos Umbra, vel unda thoros.
Carole Te Regem genuit Marianna potentem;
Et Regem facies Te Marianna Patrem.

De

LXXXV.

De eadem Augustissima Conjuge Imperatricis Sorore.

AUstriacis iterum Fortuna Sororia sceptris,
Splendidius Mundum subdere utrumque parat.
Cæsaris hinc thalamos ornat fœcunda triumphis;
Pronuba & hinc Reges parturit Hesperiæ.
Quid jam Ledæos Fratres in vota vocemus;
Fausta duplex nobis si præit Astra Soror?

LXXXVI.

De eiusdem ad Corunnæ portum adventu in Gallæcia Regno.

UNa Cor, Hispanæ simul & spes una Coronæ,
Digna Coronnæi littoris hospes adest.
Victricem Oceani nutu cum fecerit Argo,
Prætulit ex oculis astra serena suis.
Et fuit in fatis, ut Iberi gloria Martis
Exciperet magnum Divus ad Imperium:
Gratulor augustum tibi jam Gallęcia Portum:
Gratulor eluso Gallica rostra metu.

LXXXVII.

Ad Eminentissimum Principem D. Antonium Pignatellum, Purpuratum Neapolitanæ Vrbis Antistitem.

MOs fuit in summis ollas affigere tectis,
Ut procul hinc Oscen noctis abesset avis.

Ne cubet ulla sacris, ululet ne noctua Templis,
Purpurat ex Ollis tutior Ara tuis.
Parthenope Delphi mendax jam rideat antrum.
Divinos in Te Præsule habet Tripodes.

LXXXVIII.

Novendialis luctus in acerbissimo Caroli Lotharingij obitu, in quo summum robur, ne quis posset vincere; summa pietas, ne quis vellet. Suffocatis angina faucibus, vix integrum fuit ad Cæsarem, & Coniugem litteras dare, & de scripto Sacrum Oleum petere.

DA veniam lacrymis Pietas. Immane dolendum est;
Prima ubi Cæsarei gloria Martis obit.
Desperat nam Fama parem. Quot Olympia vicit?
Quot sua Bistonias ebibit hasta neces?
Loricæ meritis potuit Lotharingius Heros
Fulminis, & Lauri nectere dissidium.

LXXXIX.

CArolus anginæ moriens obmutuit Isthmo;
Abnuit & fatis ultima verba suis.
Ne tamen extremæ deessent solatia luctæ,
Præpropero petijt Chrismata Sancta stylo.
Non minor est virtus, Lachesi luctante per æstus
Immites, calamum stringere, quàm gladium.

Quam-

X C.

QUamquã incensa aditũ clausere Paristhmia verbis,
Vox operum Lotharo perstitit alta Duci.
Scilicet ad Thracum excidium, Senonesque domandos,
Una triumphales lingua fuere manus.

X C I.

SAnguinis effluxu perijt, flammante Synanchi,
(Fortunæ magnum hoc crimen, & erubuit.)
Ipse sui victor, ruptis in prælia venis;
Tantæ animæ angustum, credite, pectus erat.

X C I I.

CArole servabas Godefridi Principis Hæres
Legiferam Mentem, belligeramque Manum.
Austriacis alios invicte daturus & Orbes;
Othomanum Latio barbara Regna Patri.
Ingentemque tui spem Rhenus ovantibus undis
Hauserat, hostiles terrueratque minas.
Te sine jam luget sectos in flore triumphos,
Fama pium luget Teutonis Æacidem.
O age si Cœlo decus adderis alter Orion,
Europæ redimas Sidere damna tuo.

X C I I I.

SEcum alij Veneres ducant ad prœlia Mimas,
Atque capillatos, mœcula philtra, greges.
At Lotharo virtutem acuit Crux, munus Avorum;
Cultus adorati Numinis, Ægis erat.

Par Cidari galea,& Lituo par hasta; Theorum
Præstitit incerti Martis arena Ducem.
Mira quidem in bello Pietas, sed vera: sub armis
Induerat Genios Carolus Austriadum.

XCIV.


ET Deus,& Cæsar,Conjux,Carolo ultima cura
Hæsit in extremi temporis articulo.
Sic Animam,Gladium,Calamum, decora omnia Famæ
Impendit,pius ad funera,fortis, amans.
Ne tumeat,si vocis iter Mors improba clausit,
Quis fuerit, victrix gloria sat loquitur.

XCV.

DEpositum latet in parvo quàm grande sepulchro?
Umbra tegit Martem Cæsaris,umbra Jovem.
Non fore mortalem,vel iturum in sæcula numen
Credidit & Virtus bellica, Fama, Fides.
In se magna ruunt: nimium ex quo splenduit, arsit.
Fulmina sic subito fulguris igne cadunt.

XCVI.

NOn habet Heroum victrix Epicedia virtus,
Præfica funereos Gloria verte modos.
Dignior æternis Lothari nam Laurea fastis,
Tristia proscripsit carmina,cum siluit.



Ga-

XCVII.

Galilæus post deprehensas in Sole maculas obcæcatus Cœli aspectu caruit.

Qui maculas Soli imposuit, motumque negavit,
Ausus sidereos Censor obire globos;
Luminibus captus, vivæque obnoxius umbræ,
Ipsum Mundi oculum cernere non potuit.
Nam Cœlum fecisse nocens, ac Principis astri
Stemmata micrologo diminuisse vitro,
Supplicij eclypsin meruit, vultumque sepultum:
Unde reo dixit nox inopina diem.
Vera in se doluit, non debita stigmata Soli:
Ut pœna elueret crimina, cœca fuit.

XCVIII.

De Eodem.

IN Sole labes turbinatim mobili,
Rimante tam longè tubo
Galilæus arguit, Opticæ lumen Scholæ;
Corrigere quis porro audeat?
Correctioni nullus accedit locus,
Ubi Principes peccant Viri.



XCIX.


Ad Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem, Cypri Regem, ut Gallorum incurſiones ab Italia procul arceat.

SEmideis Dux aucte animis,age fulmina vindex
 Exere,& Auſonij Juppiter Orbis eris.
Libertatem aſſertam Italis tibi debeat æther;
 Quam ſacra divinæ Sindonis umbra tegat.
Hoſtica jam fraudum vis cædibus obvia nutat:
 Bellisonis fugiunt Alpibus Annibales.
Magna quidem petimus,Regi ſed digna Sabaudo:
 Spem poteris noſtram vincere, vota nequis.

C.

Ad P. Dominicum Jameum, ut Pancratiaſtes decurſo in prælegenda Theologia ſtadio, commentationes in lucem edat.

QUid tacitos ſinis in latebra Jamèe labores?
 Divinum nitido lumine lychnon olent.
Et Latijs mellita favis altiſſima Cœli
 Senſa,darent tetricæ verba diſecta Scholæ.
Ingenij cenſus ſeſe,cum diditur, auget;
 Hinc magis in culpa eſt mentis avarities.



Ad

C I.

Ad D. Nicolaum Federicum inito Sacerdotio, Sacris Concionibus, ac Legalibus studijs sedulò incumbentem.

GAudeo quod Mensæ post libamenta Theurgæ
Ad Sacra jam properes pulpita ferre gradum.
Ipse etiam Aonidum castris post terga relictis,
Transiliam præ quod publica vota petunt.
Gusmani aggrediar Divi primùm edere Fastos;
Mox alia; injiciat ni mihi Parca manum.

C I I.

Ad Joannem Baptistam Bigattum, Rationalis, ac probatissimæ Medicinæ cum primis peritum.

HOc tantum Bombycis habes Bigatte, quòd Ægris
In longum vitæ stamina firma trahis.

C I I I.

Ad D. Franciscum Bombacem Neapolit. inter Canonicos Ecclesiasten eruditè Theologum.

VEl tua vis Linguæ, vel pectoris integra virtus,
Utraque Mystologæ pondera laudis habent.
Debita si sacram non dum tegit Infula frontem,
Tantus es, ut faciant & merita ipsa moram.

C I V.

Ad P. Fabium de Vrbe in Theologica palæstra primarum partium Athletam
De ijs, qui ementito cognomento superficiariam Nobilitatem jactant.

PAtritios inter Fabios duxisse Quirina
Te possem antiquum dicere ab Urbe genus.
Rideres tamen ad palpum. Sapientibus ingens
Stemma facit virtus, mens parat una Rudem.
Qui novus Æsopi plumis se Graculus inflat,
Nobilis æquivoco in nomine, non suus est.

C V.

Ad Simeonem de Turri legitimum Hippocratis, & Galeni hæredem.

EXhibet empyricos nugax Orchestra Choragos,
Mens quibus in bullas fumat hydrargyrias.
Te Ratio addicit semper consulta Galeno.
Hunc relegunt magnum nomina docta Ducem.
Angeris, Hippocrates si Carbonarius audit:
Si Panace furnum consulit, & cinerem.

C V I.

Ad Carolum Pignatarum Medicorum Principem.

ISacidum congesta olim Colocynthis in ollam,
Miscuit agrestem mortis amaritiem.

Nunc

Nunc alios experta animos, nervosque salubres,
Tuta sub Ollari nomine vita tuo est.

CVII.

Ad P. D. Bonaventuram de Tundis, ex Olivetana Familia Abbatem erudltissima litteratura.


IBis & in nostros nomen Geniale libellos,
Qui pia facundo nectare praela beas.
Credimus impensum tibi totum Palladis assem,
Nam tua par Oleae tempora Laurus obit.

CVIII.

Ad Lectorem,

Hic musistitium indicunt mihi feria. Longum
Ægra vetat choreas ludere ruga: Vale.





EPIGRAMMATON

LIBER X.

I.

Ichthyopædia,
Seu Xenia de Piscibus,
Antecineralibus ferijs.
Ad Philyctum.

PRoxima cum tenues revocent Cineralia mensas;
Claudat & exertæ limina Carna gulæ,
Hanc tibi non vetitæ apponunt obsonia cœnæ
In patinis facili disticha curta stylo.
Ne tamen insulsæ moveant fastidia Musæ,
Dapsilis herboso carpitur esca mari.

II.

In Apollinis iconem libello præfixam.

PAstor ab Amphryso, nunc & Piscator Apollo,
Ne lyra sordescat pulvere, tergit aquis.
Abnuit Admetum, Sebethidis accola ripæ:
Pluris habet muto reddere jura gregi.

Aci-

III.

Acipenser, seu Sturio.

DIves adest Procerum mensis Acipenser opimis;
Si cupias, inopem verte Philyćte famem.

IV.

Acus.

OBtuso sis ingenio, stultèque supino;
Hunc comede, & stomachi rem tibi tanget Acus.

V.


Anguilla.

LVbrica Pragmaticis par est Anguilla dolosis.
Vt teneas, digitis effluit uda tuis.

VI.

Mullus, seu Trigla.

MIllibus hic octo nummùm olim vænijt. ingens
Luxuries squamæ sæpe facit pretium.



VII.

Idem barbatulus.

EXimium duplex insignit barbula Mullum:
Nunc decus imberbes est nituisse senes.

VIII.

Idem miniatis genis expirans multicolori varietate mutatur.

PIngitur immoriens squamis variantibus ostrum:
Serus obit rubor heu crimina, dum pereunt.

IX.


Idem degener & mollis, saponarius.

PInguescat cœno, mollique lutarius alga,
Libertis erit,& vilior esca Fabris.

X.

Scorpius, vulgo Scrofanus.

NOxius est terris; & noxius additus astris:
Lautus in Jonio gurgite Scorpius est.



XI.

Sciæna seu Vmbrina.

MItte scholam. Nihilo non assidet Umbra jacenti.
Res est. Lautitijs commodat Umbra dapes.

XII.

De Eadem.

TEtrica ne doleas parvo jejunia victu,
Exhilaret macros Umbra marina dies.

XIII.

Lacerti.

PUgnandum tibi credis in Lacertos?
Ictu verriculi trahuntur uno.

XIV.

Scarus, quem Rhegini Paurum coronatum vocant.

CEnsuit hunc olim cerebrum Jovis Ennius. ergo
Frange; potes vescæ Palladis esse nepos.

* *
*

X V.

Idem.

RAros in pretio Scaros habemus:
Quod diu quæritur, optimum videtur.

X V I.

Pisciculi in freto siculo, vulgo Cicerelli.

LActeolos Siculis cum quis piscatur arenis,
Credit in his mammas sugere Nereidum.

X V I I.


Pagrus.

CArpe Dicarchæo saturos in littore Pagros:
Phasides haud succi sunt melioris aves.

X V I I I.

Rhombus.

VT Venetum mensis sapiat par forma rotundis,
Rhombus in expanso mollior orbe tumet.



Con-

XIX.

Congrus.

HOc decus est Congris, amissa vivere cauda.
Longo aliis addit syrmate cauda decus.

XX.

Chrysophrys, Aurata.

FLava superciliis, & nomine lautior ipso,
Vota etiam saturæ mordet avaritiæ.

XXI.

Piscis Capo e Gallis, scopulis prope Lubram.

SI Capum ad Gallos tibi nassa occludat obesum,
Lucullus fies; oscen Apollinis est.

XXII.

Solea, quæ lingulaca.

PLus veterem laudat Soleam censura Culinæ.
Gutturis est, nudos non subit ista pedes.

* *
*

Lam-

XXIII.

Lampetra.

INtortam Libyæ quamquam exprimat aſpida rictu
Lampetra,ſi fauces mordeat,illecebra eſt.

XXIV.

Salpa.

SAlpa recens guſtata ſapit,ceu fluxa voluptas.
Mox alvi redolet turpior illuviem.

XXV.

Teſtudo.

ASſa chelenophagis dat plurima fercula cœnis,
Quin abacos levi cortice ſecta tegit.

XXVI.

Rhombus.

PIſcibus e planis jucunda eſt gratia Rhombo:
Unum hominem fugias moribus uſque planum.

* * *

XXVII.

Locusta.

TErra truces segeti, mites alit unda Locustas,
In causa locus est sæpe, fuisse malum.

XXVIII.

Pisces Canes.

LOngior a Cynicis, pelagi contemne Lyciscas
Ne qua laboranti tormina ventre latrent.

XXIX.

Citharus.

MUtus hiat, resonat cui nominis aura canori,
Garrula sic Sciolis nomina, sed sine re.

XXX.

Rana.

IUrgia non limosa tuas hæc gannit in aures:
Blanda strepit surdis faucibus ad patinas.

XXXI.

Piscis Aper.

NOn opus Herculeæ vim clavæ intendere, quando
Squamigerum tenuis lancinat hamus Aprum.

XXXII.

Boax Piſcis loquax.

PRotheus ut tacitos pelagi compeſcat alumnos;
Eſt qui vocali murmuret ore Boax.

XXXIII.

Rana Piſcatrix.

FLuctivagi inſequitur pecoris dum vafra ſaginam,
Capta luit pretium fœnoris ipſa ſui.

XXXIV.

Aloſa ariſtulis plena.

QUiſquis flumineas ad prandia poſcit Aloſas,
Tædia, ſpinoſumque eſurit ille metum.

XXXV.

Pholis, Rondoletio Bavoſa.

VIx oboli facias: muco ſe fœda ſalivat.
Nec dabit emunctis naribus eſſe Pholis.

XXXVI.

Erithrinus rubicundus.

DUlce rubens oculis Erithini manditur oſtrum.
Et gula fit duplex, hinc ſapor, inde color.

Sy-

XXXVII.

Synodon, Dentex serratis dentibus.

DEntibus ut lautum sapiunt Synodontes acutis;
Sic quoque dentatis scommata salsa jocis.

XXXVIII.

Orphus, qui Cornua.

AUgustã huic chlamidẽ, & sacros gula vovit honores,
Nunc etymon vultu vilius Orphos habet.

XXXIX.

Merula, quam alij Rosam appellant.

CUm Merulæ Rosa det nomen, res una videtur,
Et terræ soboles concolor, atque maris.

XL.

Tænia gracilis, & boni saporis.

Fœmineis auget luxus dispendia vittis,
Quas simul hæc ornat Tænia, pascit item.

LXI.

Coracinus.

PAsceret hic Eliam lumbis si Corvus obesis,
Nullus Achabæis lancibus esset honor.

XLII.

Piscis Novacula & Pecten.

NIdorem patinis ferrugineum afflat & ollis;
Dic age, qui vocat ad fercula, Tonsor erit?

XLIII.

Sargus.

COrripe, nam lentè retrahat si linea, solers
Atterit hanc. certum lex citò plecte nefas.

XLIV.

Blennus, & bulbus, vulgo Cipolla.

SQuamea vel salsis turget quoque Cæpula glebis,
In socios bulbis insidiosa suis.

XLV.

Gobius.

INter Neptuni famulos non ultimus errat
Gobius, in Veneto laus sua multa mari est.

LXVI.

Aselli, vernaculè Merluzzi.

COr quibus imbelli tantum concrescit in alvo,
Quin rudis insulso nomine signet oros?

Aqui-

XLVII.

Aquila.

QUàm dispar fortunæ Aquilæ? Jovis armiger ales,
Cum natat, ex unco pensilis ære perit.

XLVIII.

Turdus maximè laudatus a Tralliano.

IUre bono ptisanam dices innare marinam,
Saxea si Turdos littoris unda dabit.

XLIX.


Muræna inauribus ornata Baulis in piscina.

INdidit huic teretes auro Drusi uxor inaures;
Ut celer ad dominas disceret ire manus.

L.

Carpio.

GLoria Benacæ cur Carpio dicitur undæ?
Anne quod e loculis carpat opimus opes?



L I.

Exocœtus, qui & Adonis, tranquillo mari cum fluctu exilit in terram.

SI tibi mens non ſordet, ab hoc per ſaxa cubantem
Abſtineas hamum cautus, Adonin olet.

L I I.

Phyſſalus oculos in ventre habet.

VEntroſis ſpectantem oculis qui Phyſſalon audis,
Non ſecus omniuoris lumina nata putes.

L I I I.


Perca.

PÆonias ſuccis, & amantes ſaxea Percas,
Omphaga nil curat Ganea, nempe breves.

L I V.

Piſcis Palumbus.

FAlleris implumes pelagi venate Palumbos:
Damnatos retrahent retia jacta canes.



L V.

Raia stellata.

STellatam Astrologis caveas apponere Rhaiam.
Ne damnent ipsam ad lubrica fata Thetin.

L V I.

Mormyrus.

VIx refugum capies altis Mormyron in undis;
Exit inexplicitis humida lina dolis.

L V I I.

Pelamys.

CÆrula Pelamydum teneris gens durior annis,
Mollius ad pingues crescit adulta dapes.

L V I I I.

Porcus pelagius.

SUs etiam pelago grunnit,cui spina venenum est,
Vulnera sed medico curat aperta fimo.

L I X.

Squilla, locustula, dicta Cantor Jovis Olympici.

ACcipe campani quæsitam Lyris alumnam.
Gibba fuit quondam psaltria Squilla Jovis.

L X.

Lucerna.

LIngua per illunes noctes exerta Lucernæ:
Vibrat: ut extinguas, ardeat, adde oleum.

L X I.

Piscis Orbis.

QUàm bene fert etymon, vacuiq; emblemata Mūdi?
Nempe ultra faciem, nil quod edatur, habet.

L X I I.

Remora.

NOn oneret mensas lurconum Echeneis amicas,
Ne mora vinosæ sit diuturna gulæ.

L X I I I.

Vulpis marina.

Cœnosam, nec vafritiem vulpecula Ponto
Exuit, abrosis transfuga lineolis.

L X I V.

Galeus stellatus & exitialis.

SYrius hic pelagi, pictis male ringitur astris,
Et vim dentati funeris ore vomit.

L X V.

Loligo, Italis Calamaio.

HUmida nox pressæ Loliginis illita chartis,
Et vitam, & tacitis Manibus ora dabit.

L X V I.

Parva Loligines, quæ Græcis
Theutides dicuntur.

CÆruleos en boletos maris excipe, lautas
Teuthidas, & non quod Claudius edit, edes.

L X V I I.

Idem.

VEscere sed teneris, dos est nam summa pusillis.
Infantes sapiunt, desipiuntque senes.

L X V I I I.

Pisces cucullati.

QUæ pietas maris est? aperit sua claustra Cucullis.
Et mirum, nulla relligione silent.



LXIX.

Pastinaca cultellato dorso.

HAnc si vadosi filiam maris captas,
Acuminato te lacesset a tergo.

LXX.

Nautilus.

VEla facit placidis remex & Nautilus undis.
Piratæ argueris crimine, si rapias.

LXXI.

Baon.

QUis nam sit Bæon, nautis nescitur ab ipsis.
Fama tamen piscem præmonet esse malum.

LXXII.

Passer.

HUnc levis obscœnum silvis vehit ala, salacem
Cum soboles Salis est, eluit ipse notam.

LXXIII.

Musculus.

PIstrices, vastasque præit dux Musculus Orcas:
Naufraga ne pereant maxima, egent minimis.

Ma-

LXXIV.

Maximus cancer gibbosus, vulgo Fellone.

IMmanes etiam Cancros impune vorabis:
Cancer enim perdit viſcera,ſi quis edax.

LXXV.

Paguri, e cancrorum genere.

EDita clam taciti obrepunt in ſaxa Paguri.
Non niſi præcipiti præda petenda dolo eſt.

LXXVI.

Thunni.

EIjcit Heſperiis e Gadibus impetus æſtri.
Turmatim fatuo hinc agmine diſpereunt.

LXXVII.

Clidia Thynnorum gratiſſimi ſaporis.

PUlpamenta alijs Thynnorum appone libenter,
Unus ad Oeſophagi vota ſat eſt jugulus.



LXXVIII.

Glaucus imbricatæ asperitatis, cui linea continuo tractu a capite ad caudam ducta, Italicè Lecciola.

LInea cæruleum pinnis tegit aurea Glaucum,
Gastrologis huic insistere, delicium est.

LXXIX.

Scolopendra se eviscerat, ut deglutitum hamum eijciat.

VIscera & ipsa vomēs, quibus hæserit, egerit hamum:
Reddere sic æs raptum Scolopendra docet.

LXXX.

Aries occulto latrocinio cymbis adnatat, invertitque.

ASsilit, & tacito piscaria ligna natatu
Mergit: ab hoc nautis Ariete naufragium est.

LXXXI.

Sphyrana, seu sudes.

SI nulli reddas elata fronte salutem,
Oblongas tantùm rebimur esse Sudes.

LXXXII.

Piscis gladius.

Æ Quoreæ Xiphiam Pugilemq;metumque palæstræ,
Missilis intorto fuscina dente necat.

LXXXIII.

Idem.

T Olle animos,gladioque ferox i,fide minaci,
Si repetet te mors nautica,nullus eris.

LXXXIV.

Squatina.Piscis squadro.

A Spera fac epulis Squatinæ lorica supersit.
Lævigat hæc ebeni scrinia, tergit ebur.

LXXXV.

Torpedo,vel Tremula.

P Lus levibus premimur.patiens Torpedo vorari;
Vix se tangentes funerat ulta manus.

LXXXVI.

De eadem.

S I quis emit Trèmulam,motu torpescet inerti:
Nautis fas unam hanc vendere paralysin.

Ha-

LXXXVII.

Harengi.

ADdimus Oceano compendia multa Batavo.
Namque quadragenam pascimus esuriem.

LXXXVIII.

Polypus.

COmplicat ingenium Polypus versatile fraudum,
Quot cirris ambit saxa, tot ora gerit.

LXXXIX.

Idem.

OBliquè natat in caput, arrectisque flagellis
Incautum abripiet, si latuisse putas.

XC.

Idem.

ÆGrè percoquitur, ferulæ nisi vapulet ictu.
Blaterones Virgea sic curant pharmaca * spermologos.

XCI.

Hiatula.

HIscit hians segni quæ vilis Hiatula rictu,
Instar inexpletæ Mimula plebis agit.

Aphya.

XCII.

Aphya.

VIx lenes Aphya excoquitur si viderit ignes;
Crudior est, quò plus uritur Invidia.

XCIII.

Sarda.

SI patinam pulsat cauda, pelagique recentem
Muscum oleat, gustu judice Sarda mel est.

XCIV.

Pompilus, qui comitatur navigia.

QUis non Pompili fidum miretur amorem?
Vela docet tutam tantulus ire viam.

CXV.

Cammarus.

MUricis induitur trabeam, cum frigitur: eheu;
Purpura quàm multos ornat, honos tumuli?

XCVI.

Cicada.

ÆQuoream prorsus tacitam ne crede Cicadam.
Si minus ad Solem, perstrepit usta Coquis.

XCVII.

Melanurus, seu Oculata.

PErcarum Melanure aciem anteis. aptius ergo
Diceris undivagi Dux Oculata gregis.

XCVIII.

Laudatissimus lupus, vulgo Spinola.

SCindere nequitiæ pedicas,& vincla magistro,
Disce lupo,quem non linea rosa capit.

XCIX.

Idem.

REtibus evadit tacitæ suffossor arenæ:
Cautè,ne desit vivere,se tumulat.

C.

Mugil fœminam insequens fuscina occiditur.

IRruit in venerem dum Mugil,& ardet, ad ictum
Perdit amans vitam ac nomen, acephalus est.

CI.

Sparus.

PAusilypi ad virides si quis Sparus exilit algas,
Ventriculo sanam donat odorus opem.

Dra-

CII.

Dracænis, nobis Tracina, lethalem habet spinam.

NEptuni dicam Sicarium obesse Dracænim;
Cui latet in nostrum spinea sica gulam.

CIII.

Araneus vilissimi generis;
Pesce ragno.

INter & æquoreas obrepit Araneus undas;
Ut ferat a jactis retibus exitium.

CIV.

Spuria Acorum species, vulgo nobis
Castaudelli.

DEgeneres Delphin hos inter aquatile vulgus
Certatim celer in retia cogit acos.

CV.

80. Librarum in rubro mari captus est Mullus;
Plin. l. 9. c. 18.

IN libras si forte excreverit octogenas,
Vixit Erithræo Mullus, an Orca mari?

* *
*

C V I.

Sepia.

FArta, vel intrito nisi sit conspersa virenti,
Sepia Convivis non facit ulla famem.

C V I I.

Haleces.

HAleces tenui ne despice mole pusillos.
Hos alit in nitida prodiga Doris aqua.

C V I I I.

Piscis Luna in Roccella visus, qui mortuus explendesceret.

LUmen in hac discit post funera vivere Luna.
Hoc precor & busto Thracia Luna tuo.

C I X.

Diogenes crudo polypo comeso, supremum diem obijt.

DOlioli ob cynicum qui vixerat incola fastum;
Cruda vorans & acetabula, disperijt.



C X.

Thracuri, alias Suvari.

MAncipia hæc maris insulsissima frige patella.
Cum speciem referant Suberis, unge garo.

C X I.

Sturio coronatus in mensalem pompam apponi solitus.

FErre coronatum ad convivia lauta Silurum,
Luxuriæ ingenium dixeris, anne gulæ?

C X I I.

Lyra, quam Piscem furcam vocant.

DUra cutem, multoque madens Lyra glutine mugit;
Non aliter Paphijs sordida vatibus est.

C X I I I.

Callionymus, seu Uranoscopus, cui in summo capite oculi.

AStrologi. hunc metuant. noctu vigil excubat astris.
At satur immani rumpitur ingluvie.

* *
*

CXIV.

Chromis, seu Castagnola.

ÆMula castaneis bellè Chromis ora colorat.
Anne suum jactat Mænalis unda nemus?

CXV.

Lucius.

LUcius incautum ne nomine fallat aprico.
Innatat ignavæ vilior hospes aquæ.

CXVI.

Tinca.

QUò valeas, damnata tuis procul ignibus absit:
Quippe creat limo deside Tinca febrim.

CXVII.

Trutta.

PRæ reliquis unam hanc mallet sibi Tethys alumnam:
Piscoso invidiam parturit una mari.

CXVIII.

Pisces Cetacei.

GLauca maris portenta, Orcas, Pristemq; minacem,
Nudet ad Endromidas frigida Zembla suas.

Pi-

CXIX.

Pisciculi fusanei.

PHycidas,& Cyprios,Gerres,Scombrosque gregales,
Non tanti est plagulis implicuisse meis.

CXX.

Pisces muriatica salsa conditos invenit Neapoli Apicius,ubi Scapece vocantur,marinati.

COnditam muria molitus Apicius escam,
Mandit inaccesso squamea dona mari.

CXXI.

Concha Nerita,Venerea,Melanides,dactyli,Turbines.

ET lepadas,balanos,solenas, & ostrea, Strombos
Buccina Tritonum si sonet, unda dabit.

CXXII.

Ad Zoilum.

PIscibus his tunicam,& caligas quid Zoile præbes?
Deridet sannas Ichthyopola tuas.

FINIS.

N O T Æ.

Cùm latinè doctis Epigrammata ſcribantur, non ad vulgi guſtum, qui carminum placentulas barbariſmis conditas, ut intellectu faciles amat, pauca ſtrictè explicare placuit, vel græca, vel multis inſcita, ne lectorem aut morentur, aut interturbent.

χειρῶν non χειλῶν. dona manuum non labiorum; factis non verbis exhibita. Ἐγκέφαλον. cerebrum appellavit Diocles apud Athenæ: lib. 12. cum ſit in capite. Ἕξιν. habitum ſeu facultatem expeditam. Δικαιοσύνης τὸ χρύσεον πρόσωπον. Id eſt, auream Juſtitiæ faciem. Λευκόστολυ. Albis indutas veſtibus. Μηδὲν ἄγαν. Ne quid nimis. Μεγαλέμπορος. magnus negotiator. ita irriſus Theagenes. Ὁρᾶν & ἐρᾶν; videre & amare. θηροτροφεῖς. Feram nutris. ut Auguſtus Pollioni Aſinio dixit. Sen. l. 3. de ira.

Notæ ad alia, ordine alphabetico.

ASoti, ganeæ ſtudio perditi manduconis. Anomaliæ, exoticæ varietates. Acroſtoliæ, navium ornamenta. Anaſtaſin, Reſurrectionem. Adynata, impoſſibilia. Aphelea, longe a Sole. Avertentia Sacra fieri ſolita, ne quid detrimenti metuerent. Anthropographum, qui homines pingit. Androgynum, utriuſque ſexus. Bœotia, in hac naſcuntur bardi, ſtupidi. Baias. Italis nugæ ſunt. Brutum fulmen, non ominoſum, nec procurandum. Cœna recta, quam Civiliores clientibus dabant. Cœna canina, viliſſima e macelli ſordibus. Curricœnam, qui huc illuc curſitat captandis opſonijs. Calendarium, liber Fœnebris pecuniæ in quo accepta & expenſa. Camarina, ſterquilinium fœtentiſſimum. Caligæ, & Galigati milites gregarij, cruribus ferè nudis. Clidia, juguli recentes in Thynnis grati ſaporis. Carna, Dea Cardinum & viſcerum Praſes, cui lardo litabant. Cricum, circulum brachio alligatum, vulgo *ſmaniglie*, & veneno imbutũ, quo hauſto perijt Demoſthe-

nes

nes.Diphnologi,qui de cœnis disputant. Diabete,medicis est hydrops ad matulam, hic metaphoricωs,alvi pro fluviū præcipitis ob timorem. Equus Seiani,quem qui emeret, infelicissimus. Epimetrum, additamentum. Ectypa, formæ e typis expressæ, seu *copia*. Endromydas,vestis hirsutæ genus. Eunomiam,rectam legum disciplinam. Floralia, ludi meretricijs lenocinijs infames. Foricam, locum excipiendis alvi sordibus. Glaucus & Deus marinus comesa nescio quam herba, & Piscis, vulgo *Lecciola*. Gerontomania, senum insania. Gastronomi,qui ventrem pro foro habent. Grundules lares, consecravit Romulus in honorem scrophæ, quæ XXX porcos genuit. Hepthaphona, septies vocem repetens. Hercules mensarius, quia eduliorum voracissimus. Hermocratem Medicum severè vultuosum, Hermogenē,in cōvivijs furem,lege Marcialē. Hygiæ id est,sanitati. Harpen,gladiū falcatū. Turcis,*Sciabla*. Hydrargyron,argentum vivum. Jovis Scribæ dictæ sunt Parcæ. Jovem Pappam colebant Persæ ex Herodoto. Jovem lapidem,veteres jurabant ex Gellio. Islebium,Lutheri Patria in Saxonia. Laverna, furum Dea. Lamiæ, fœminæ venustæ,quæ amasios necabant. Lampadiphoria, ludi ad Parthenopes tumulum celebrati soliti,in quibus palmam ferebant cursores accensa tæda usque ad metam. Lessum, lugubrem eiulatum. Loxodroma, ars obvertendi vela. Italis *fare il caro*. Longam literam faciunt furcæ addicti. Metanœa, pœnitentiæ virtus. Methonem. *Modon* in Peloponenso. Mysogynus, fœminis infensus. Metatoscopa,e facie visa divinant. Morologia,stultorum sermones. Nauplia vulgo,*Napoli di Romania*. Necropolis,emortuorum Civitas. Naumachia, ludicrū certamen navale. Partheneum,locus Sacratum Virginum. Panthoides, Pythagoras. Polichronia,in lōgum tempus duratura. Pleuritis, morbus membranæ inter costas cum lateris compunctione, ex inflammato sanguine. Prodromus, prænuncius. Pyrphorus, facem præferens. Prytaneum, Athenis Curia. Peristyla, locum columnis circumseptum. Pyrotechnia, ars ingeniaria in factitijs ignibus. Phasmata,apparitiones. Pulveraticum, honoratium munus Agrimensoribus datum. Rhodino, idest unguento e rosis. Salacon, sui jactator. Selonographiæ, id est Tabulis lunaribus. Symphysis,coniunctio. Synchrysis, confusio. Synthesis, domesticæ supellectilis apparatus. Symmysta, ejusdem religionis. Solenæ, Neapoli *Cannolicchi*, genus conchæ. Sphæromaca, pila ludens. Stropha,dolosa excusatio quæsitis ex iniquo causis. Thyades, Bacchi sacrificulæ. Thanatosophia,mortis commentatio. Theori, qui oracula scrutātur,&promunt. Theurgi,qui in Sacris operantur, Utopia, insula a Thoma Moro politicè con-

ficta.

ecta. Xenia, dona hoſpitalitatis. Zoographum, qui beſtias pingit.

Ubi leguntur Ventidius Baſſus, Flaccus Fercularius, & ſimiles ex Romana hiſtoria, in nominum æquivoco ridiculum latet. Hæc ſatis. Si alia ſunt ſuboſcura, tabulas Onomaſticas interrogent.

Menda ſic emenda.

CAlvas, pag. 15. calvos. pag. 47. Epigr. XXV. lege. Subriſit fidei plaudens Fortuna maritę. ſemiſacium, pag. 49. ſemiſaucium. dedicus. pag. 60. deditus. vicies. pag. 64. 101 decies. Thiadas, pag. 80. Thyadas. vita, pag. 87. vitæ. Redorditi, pag. 89. redordiri. hydragyron, pag. 120. hydrargyron. vita, p. 183. vitę. admirot, pag. 213. admiror. luminat pag. 217. lumina. ſuſſuras, pag. 246. ſuſurras. ὠϱθον, pa. 254. ὠρθὸν. tralatitio, pag. 255. mulctatitio. Fortunæ, pag. 313. fortuna. magnus, pag. 336. Magnum.

Alijs erratis, Lector benevole, veniam dabis. Multa enim & lynceos oculos effugiunt; multa irrepunt, vel operarum oſcitantia, vel Exſcriptorum incuria.

